DE REBVS GESTIS BRITANNIÆ COMMENTARIOLI TRES.

R.6.62.

Ad Ornatissimum Virum M. Henricum Broncarem *Armigerum.* *E. S.*

J. De la Bere

LONDINI

Ex Officina Typographica HENRICI BINNEMAN.

Cum Serenissimæ Regiæ Maiestatis Priuilegio.

77.00

DE REBVS GESTIS *Britanniæ commentariolorum*

LIB. I.

BRITANNIA est Insula natura triquetra, ex omnibus partib. Oceano cõtinetur, inter meridiem atq; orientem solem contra Galliam posita est, recta à meridie ad Hispaniam vergit, à Septentrione versus ad Noruegiæ regnum spectat, ab occasu verò solis Hiberniam obiectam habet. Permensis huius terræ spacijs, ab vlteriore Insula vecti versus meridiem, ad Cathanesiam quod Scotiæ est extremum à septentriomb. sexcentis millibus passuum in longitudinem patet: à Dori, vndè Cantium oritur, orientem versus ad extremam Cornubiam, quæ ad occasum iacet, 320. millium latitudinem tenet: omnis autem Insula est in circuitu ter millena septingenta & viginti millia passuum.

BRutus Troianus, patria sua capta atq; deleta, naues ex longo errore ad hanc apposuisse terram fertur, regnoque occupato sedem hîc nouæ Reip. constituisse: eandem legibus atque institutis Troianis

Anno post conditã 285

2859

deuinxisse, ac nomine suo Britanniam nuncupasse, cùm ante id tempus Albion ei nomen fuisset. Brutus igitur regnum in hac Insula princeps obtinuit. Idem amplissimæ antiquissimæque ciuitatis, quam nunc Londinum vocamus, fundamenta iecit, eamq; nouo nomine Troinouantũ (Cæsar autem Trinobantum dicit) nominauit. Cum res Britanniæ constituissēt, quatuorque & viginti annos regnasset, Brutus è vita migrauit, Insulamque in tres partes diuisam trib. suis filijs distribuit. Mediam regionem, quæ & cœli temperie, & agri bonitate cæteris præstat, quam nunc Angliam dicimus (olim Lægria vocata fuit) maximo natu filio Locrino dedit, eamque totius principatum tenere voluit: minimo omnium Albanacto eam partem concessit, quæ à flumine Humbro (quod olim Lægriam ab Albania, quæ nunc Scotia dicitur, diuidebat) initium capiens, septentrionem versum ad Oceanum pertinet: qui verò ætate inter vtrosque interiectus erat, Cambro eum Insulæ tractum donauit, qui ad occasum solis positus à cæteris partibus fluminibus Sabrina Deaque discluditur, tuncq; suo nomine Cambria, post autem, vt infra dicetur, à Saxonibus est Oualliæ vocitata.

SVscepto imperio Locrinus cum Hunnis, hominibus ab antiqua Scytharum gente prognatis, bellum gerebat. hos homines feros & barbaros, qui domo emigrarant, impetumque in Britanniam maxi-

maximis copijs fecerant, rex repulit, atque ita perterritos egit, vt non prius fuga desisterent, quàm ad flumen Humbrum, quod ante demonstrauimus, peruenerunt. Vbi pars à Britannis concisa est, reliqui, in quibus rex eorum Humber erat, seu viribus confisi tranare contenderant, siue eò se desperata salute præcipitarant, vi fluminis oppressi perierunt. ex qua calamitate id flumen postea nomen cepit, ac memoriam prodidit. Locrinus Guendolinam Ducis Cornubiæ filiam in matrimonium duxit, ex eaque filium Madanum suscepit: sed vnà concubinâ etiam Estrildam habuit, atque ex ea filiam Sabrinam. Quod facinus Guendolina est vsque facilè passa, quoad suam viro patientiam irrisui, atque virtutem esse contemptui cernebat. Locrinum enim satietas sensim vxoris cepit eâ; quamprimum per patrem Ducem audebat (qui iam erat mortuus) remisso nuntio, concubinam in eius locum duxit. Qua contumelia commota Guendolina, clam cum eo, quem fors obtulit, comitatu profugit, Cornubiamque continenti impetu petijt: magnisque suorum ibi coactis copijs, eadem celeritate se armis cum adultero decertatum, atque iniurias vltum recepit. Locrinus contrà celeritati itidem studet, paucis diebus exercitum conscriptum ad mulierem reprimendam ducit, & quà proximum ad Cornubiam iter erat, magno incitatus cursu contendit. cui cùm obuentum esset, & vir mollis & conscius

sceleris cum potentissimo ac firmissimo populo contendisset, exercitu pulso interfectus est. eodem etiam tempore concubina atque eius filia Sabrina deprensæ, in flumen Sabrinam, quod ad prælium commissum est, præcipitantur: ex eoq; id flumen casu nomen inuenisse scribunt. Guendolina iam occiso Locrino per ætatē filij Madani in regni procuratione fuit, idq; p annos 15. iustè ac sapienter administrauit.

ATverò à matris & moribus & fortuna lōgissimè filius abfuit, qui, cùm Britannis permultos annos esset crudelius atque impotentius dominatus, crudelem tandem calamitosumque exitum habuit. dum enim feras animi causa agitabat, a feris atque immanibus lupis (quorum erat in Britannia tunc magna copia) dilaniatus interijt.

EOdem exemplo huius filius Mempritius, cùm fratrem suum nefariè occidisset, ac se omni libidine atque impuritate inquinauisset, vsque eò vt ne à bestijs quidem abstinuerit, in venatu luporum lupis etiam prædæ fuit.

LOngè alia ratione Mempritij F. Ebrancus nobilitatus est. hic ex 21. quas habebat, vxoribus 20. filios filiasque 30. progenuisse traditur, omnesque ad Albam Siluium, vt connubio cum Troiana gente coniungerentur, in Italiam dimisisse. Sed quoniam hæc antiqua Britannorum historia partim, pro temporum serie ac descriptione

tione, obſcurior, partim, pro rebus geſtis, quæ literis prodatur indignior eſſe videatur, circumciſis vbique minutis ac leuiuſculis rebus, tempora in ordinem relata ſubtiliuſque diſcreta, non niſi cum vſus venerit, proponamus.

NOn multis annis, quibus hæc ab Ebranco geſta ſunt, imperium in Britannis Bladudus tenuit. Is, cùm ciues ſuos iam rudes & agreſtes humanitate excolere cuperet, ſtudio literarum in Græciam profectus eſt, diuq; Athenis operam ſummis magiſtris dedit. Inde digreſſus, quatuor ſecum Philoſophos adduxit, qui Græcorum artes & diſciplinas publicè in Britannia traderent; inque eum finem ſcholam ſeu Academiam, quæ vſque ad Auſtini Monachi vigebat ætatem, in media ferè Inſula inſtituit Stamfordiæ. quã Auſtinus, annis poſt circiter 1500. hereſeos ad Papam accuſauit, eoque nomine & crimine damnatam euertendam funditus delendamque curauit. Bladudus vt omni liberali doctrina politus, ſic in ea ſapientia, quam Magiam vocant, excellens fuit. Cuius artis præſidio primùm in oppido quodam, quod ædificaſſet ipſe, quodque ob eam rem Thermas Ptolomæus vocat, calidas ac medicatas aquas effeciſſe proditur: (quæ aquæ vſque ad noſtra tempora continuatæ perquàm ſalubres manſerunt) deinde eadem arte atque audatia adhibita volare pennis innixus contendit: idque ei perbellè aliquandiu proceſſerat. Verùm *Anno Mundi.* 3100

dum longius connititur, Icarum in medio cursu & ars & pennæ deficiunt, atque altè de subito cadens, ad templum, quod eo quoque oppido Apolloni consecrasset, allisus perit.

EOdem illo seculo regnante Riuallo, sanguinem tres continenter dies pluisse memoriæ proditum est, ac tantã inde vim venenatarũ enatam muscarum, tantamque hinc rursus & tam grauem pestilentiam exortam, vt purgatis vrbib. oppidis exhaustis, villis agrisq; vastatis, propè ad internecionem gens ac nomen Britannorum esset redactum.

LOngo satis interuallo Ferrex & Porrex fratres vnà remp. Britannorum partitis temporibus administrabant. Hos inter, vt fit, cooritur de potentatu dissentio, atque re ad arma vocata, longius ab ijs fraternum nomen abest, alterumq; alter hostium in numero habet. In illa cõtentione Ferrex à fratre interficitur. Ea re mater adolescentum incitata, vt ijs concluſa sit fabula, furere, &, quo pia videatur, impium exemplum alterius fratris filij sui sanguine expiare contendere. Nullam igitur moram mulier ad negotium intulit, Porrigemq;, nihil sibi à matre metuentem, in suo lectulo trucidauit. Quo scelere etiam, vt nihil deesse fato videretur, stirps generis & seminis Bruti, postquam imperium in hac insula 616. annis repetitis atq; enumeratis temporibus obtinuisset, extincta est.

Nunc

NVnc igitur Britannia, certo ab imperio quinquagenos annos vacua, ciuilib. discordijs agitatur, cũ quinque diuersis Insulæ locis regna vulgò occuparentur: nec certa pax modusue imperij constitui antè potuit, quàm homo excellenti virtute Dunnuallo Cornubiæ Dux extiterit, qui quinis illis deletis regulis, omniq; Britannia deuicta, insulam rursus ad vnius imperij formam redegerit, bonosq; ei mores, leges, iura descripserit. His constitutis, vbi res iam Britanniæ commodiorem in statum peruenêre, Dunnuallo decessit, regnumque inter duos filios Belinum Brennumq; diuisit. Qui ætate inferior fuit, Brenno magni animi adolescenti Albania (quã tum à flumine Humbro initium cepisse demonstrauimus, nũc autem longè intra eum locum Tueda finitur) illi inquam ea pars obuenerat. Is angustos hos fines pro animi magnitudine arbitratus nouis imperijs studere, ac de summa re cum fratre contendere cæpit. Sed celeriter ab hoc consilio, matre se interponente controuersiasque tollente, depulsus Brennus totum rationem mutauit, regni procuratione fratri relicta, domo excedere, atque in Galliam militatum ire statuit. Quid multa? ibi apud regem Siguinum hospitio acceptus, ob singularem virtutem summum locum gratiæ & honoris tenuit: rex ei primùm filiam suam nuptum collocauit: pòst autem, cùm in dies gloria & gratia crescceret, eidem sum-

Anno Mund. 3467

ma illius belli administrandi, quo Roma Galli potiti sunt, omnium Gallorum consensu permissa est. Eius frater interea loci Belinus bello in Germaniam inuectus regem Daciæ vicit, ac sibi stipendiarium fecit. Pace confecta filiam in ijs Cambriam Antenori collocauit: ex qua gẽtem Cimbrorum duxisse nomen volunt.

HVius F. Gurgustus exercitum iterum in Germaniam transduxit, Daciamq;, quæ ab amicitia populi Brit. defecerat, recepit, ac stipendium à patre impositum vi rursus dependere coëgit. Inde domum nauigans rex in classem Hispanorum incidit, qui ex agris ac sedib. præ multitudine nouas sedes domiciliumque quæsitum excesserant, ac iam in Oceano permultos dies dispersi vagabantur. Qua misericordia commotus Gurgustus, in fidem & clientelam homines recipit, Hiberniamque Insulam, de qua suprà dictum est, incolendam concedit.

SEcundum ea prætermittendum non videtur id, quod à Morindo Britannorum rege audacissimè factum accepimus. Huius memoria immani magnitudine bestia, quæ ex Hibernico mari prodierat, Insulam vastauit, ac, complurib. hominibus interfectis, non minimum cæteris terroris attulit. ea re permotus rex & gloriæ cupiditate inductus, reb. suis collocatis arma expediri imperat, amicos, si quid ipsi accidat, valere iubet, nec retineri potest quin cum monstro illo, quod tota horre-

ret

tet Insula, singulari prælio decertet. Itaque in eo certamine, cùm acriter diu contendisset, nec quicquàm deesse ad virtutem videretur, tamen, dum omnes hominis ictus & conatus frustrà, vt par erat, acciderant, nec iam lassitudine vires sufficiebant, à bestia ad extremum victus & consumptus temeritatis præmium tulit.

ELiduri Morindi F. pietas laudatur.

Huius frater maior regno à nobilitate mulctatus in solitudine atque exilio vitam degebat, atque eodem ipse pacto ad regnum veniebat. Verùm cùm eiusmodi casus fuisset, vt in ea silua, quò se exul abdiderat, rex venaretur, atque in fratrem de improuiso incideret, tunc ostendit quanto apud se fraternus amor & pietas plus, quàm honor regnandique cupiditas valebat. Exulem enim amplexus domũ reduci, nobilib. inimicis, per quos eiectus erat, reconciliat, atque in regnum imperio sibi abrogato restituit.

DVob. abhinc paulo plus seculis filius Eliæ (qui sic appellatæ in Britannia imposuit nomen Insulæ) Ludus vrbem Troinouantum à Bruto primitùs institutum mœnib. sepsit, multisque clarisq. monumentis auxit & ornauit. Vnde paulatim oppidum Ludestunum illorũ lingua dici cæpit, ac longiore vsu trito tandem mollitoq, vocabulo Londinum vsurpari. *Anno Mundi.* 3894

LVdus moriens duos post se impuberes filios in tutela Cassiuellauni fratris reliquit. Quo procurante auxilia

hinc

hinc Gallis contra C. Cæsarem (qui tum in Gallia bellabat) subministrata sunt. ob eam rem Cæsar exercitum in hanc insulam, Romanis etiam tunc incognitam, bis transmisit. primo anno maxima iactura nauium, quæ tempestate afflictæ deperierant, reiectus, secundo commeatu Britannos post aliquot prælia facta subegit, & sub ditionem atque imperium populi Ro. imposito vectigali redegit.

CAssiuellaunum non ita longo interuallo secutus est Guiderius. is rerum nouarum cupidus, & Rom. imperia ægrè ferens, aliquid quotidie moliri, cum nobilib. coniurare, populum instigare, omnes increpitare atque incusare non desitit, quòd ab exteris nationib. in seruitutem redacti patriam virtutè proiecissent, neque rursus ob infirmitatem animi & consilij de libertate recuperanda cogitarent. Eius igitur auctoritate adducti Britanni, iam se mouere, stipendium pendere recusare, atque apertè bellum Romanis inferre incipiunt. Quod cùm esset Claudio (qui tũ reip. præerat) nunciatum, Romanum exercitum in hãc insulam iterum transiecit; interfecto (quid quæris?) Guiderio motus omnes oppressit, ac Britanniam recepit.

SVblato Guiderio regnum ad eius fratrem Aruiragum peruenit. Hic iam fratre necato, patria sub hostium imperium iterum accepta calamitate redacta, tamen non se animo demisit, sed eo

etiam magis excande erat factus cupiditate & patriam in libertatem vindicandi, & fratri cæterisque ciuib., quorum iniuria sanguis profusus esset, parentandi. Huius igitur sollicitationibus rursus contra populum Ro. coniuratur, ac motus multo maior concitatur. Quamobrem iterum accelerat Claudius, exercitu conscripto quamprimum in Britanniam contendit, ac superioris temporis memoria, nullam ad negotium conficiendum dubitationem infert. At spes Claudium de hac re opinioque se ellit, multoq; ei maior huius motus f reprimendi difficultas iniecta est. pluribus enim prælijs cum Aruirago congressus, cùm satis magna vtrinque incommoda essent accepta, nec vter vtri anteferretur dijudicari posset, ad extremum vt componerẽtur laborauit, commodiores Insulæ conditiones parendi imposuit, Aruiragum ob eximiam virtutem in fidem recepit, ac summo honore habuit, denique filiam suam Genistam, quam vnicè amabat, ei in matrimonium dedit.

ARuirago & Genista natus Marius cum gente Pictorum ex Scythis itẽ procreata felicissimè rem gessit. Hi se cum Scotis coniungentes latiusque vagantes Britanniæ fines violabant, neq; munitionib. factis tardari, aut præsidijs positis, quo minus intolerantius prædarentur, proterreri potuerunt. Quibus reb. adductus Marius, non ferendos eos existimans

istimans, magno exercitu comparato summis cum hoste copijs contendere, ac rem semel disceptare statuit. Picti item re animaduersa omnes copias, quas ipsi ac Scoti conficere possunt, in vnum locum conducunt, pleniq́ue spei bonæ & fiduciæ Britannis occurrunt. Inter hos ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est: tandem victis hostibus atque in fugam coniectis rem obtinuit Marius. Quo prælio magna Pictorum pars cum ipsorum duce Lodrico perijt: reliqua multitudo, quę ex fuga euaserat, pace sunt vsi, vltimis Scotiæ regionib. ad colendum atque habitandum datis. Hi postea cum Hiberniæ populis (qui paruo ab ijs traiectu distabāt) connubia iungentes, in magnam paulatim & copiosam gentem excreuerunt.

An. post natum C. 189. NOn multi anni interceserunt, cùm Eleutherius pontifex max. in Britanniam Legatos misit, qui hortarentur, vt Barbara impietate ac superstitione reiecta verum Dei cultum, ac puram Christi religionem susciperent. Re celeriter probata, Legati binos libellos (quæ testamenta vocamus) in quib. sacrorum religio continetur, Britannis tradunt: Regem Lucium, multosq́ue Insulæ primos institutis ac pręceptis Christianis imbuūt: omninoque, aquulæ asperfionis ritum ac cæremoniam (quem Græci ab mergendo *Baptismum* dicunt) vniuersus hic breui spatio populus accipit. Religione constituta Lucius mortuus est, nec aliquem post se hæ-

hæredem reliquit. Quamobrem idem dies qui regi finem vitæ, initium Reip. ciuilis motus attulit: nec non eodem vestigio barbari, obseruato tempore, molesti sunt. His per 15. annos iactati fluctib. Britanni magnas iacturas fecerant, nec quicquam tempestas remittit, resque iam, nisi quà citò subuentum sit, summo esse in discrimine videtur. Quib. rebus Romam nuntiatis Seuerus Imperator omnibus rebus postpositis exercitum scribit, magnis itinerib. in Galliam contendit, equites imperat, quantum est nauium cogi iubet, nec quicquam ad celeritatem sibi reliqui facit. Dum hæc administrantur fama de eius aduentu præcurrit, barbari eodem puncto temporis compressi ac Britanni firmati sunt, iamque omnes motus consedisse videbantur. Nihilominus, ne sæpius his tantularum rerum occupationib. vrgerentur Romani, Seuerus ad eos adeundum censuit, atque omnes Insulæ partes cum exercitu peragrandum, vt, si quo modo posset, & Britannos in posterum ciuili dissentione, & barbaros rapinis populationibusq; prohiberet. Ne multa, omnib. reb. rationibusque exploratis vnicum omnibus remedium statuit, si Britannis, adempto rege, causam seditionis tolleret; barbaris autē, obstaculo aliquo loco obiecto, spem atque audaciam infringeret. Britannis igitur edixit, ne regem vnquàm in posterum creare & constituere conarentur, sed pro rege Britanniæ Imperatorem in omne

tempus

tempus Romanum haberent. Ex altera parte Pictis Scotisque fossam atque aggerem obducere contendit: idque opus à flumine Tina ad mare Scoticum 111. millia passuum longè perduxit: idemque crebris grandibusque palis in terram demissis atque inter se reuinctis firmauit. Quæ munitio ad hunc vsque diem vallus Scoticus appellatur. His rebus perfectis, Seuerus quæ visum est præsidia disponit, rebus maritimis Carassum Britannum præficit. Post Romanorum abitum Carassus, qui non modò libertatem Britannis, sed etiam regem (quo ab summa memoria vtebantur) ereptum perdoluit, coniurationem nobilitatis fecit, magnosq; in rep. fluctus excitauit. Ad quos sedandos Alectus Imperatoris Legatus mittitur. Is, vt in mandatis habebat, pacata prouincia læuire, mobilem & seditiosam gentem seueritate & grauitate supplicij coercere atq; in officio continere cæpit. Quare Britannorũ animos iam antè alienos, sic incitatos atq; inflammatos reddidit, vt Romanorum imperia expellere patriamque in perpetuũ tempus liberare, tota vna mente sumoque studio prouincia consentiret. Ad hanc rem conficiendam Asclepiodatus veteris homo potentiæ deligitur, ad quem summa rerum rediret. Non deest igitur negotio dux, max. exercitu coacto varias manus diduxit, Romanosque vndique vno tempore vexare instituit. Romani, qui tantas copias sustinere non possunt, ex

omnib.

omnibus partibus circumuenti fugere, ac partim maritimas oras petere, partim ad legatum Alectum se conferre cõtendunt. Quorũ magnus numerus ab hostib. interceptus perijt, pauci incertis atq; impeditis itinerib⁹ perrepẽtes incolumes ad Alectũ peruenĩũt. Nec verò incitati studio & compendio ex direptis bonis Britanni desistũt, se magnis itinerib. extendunt, atq; omni loco expiato ad Alectum, qui nõ longo ab Londino spatio cõfederat, exercitib. rursus cõiunctis accurrũt. Habuit ille et ex ea manu quã secũ traduxerat, & ex ijs subsidijs, quæ ex fuga conuenerant, ampliss. copias, quas omnes Britanni vno prælio congressi fuderunt, ducemq; occiderunt. Nunc vnus restabat Liuius Gallus, qui vrbem præsidio tenens Londini constiterat. ad hunc igitur pergunt Britanni, vrbemq; obsidione oppugnare instituũt. Quid plura? oppido ponto, Liuioque capto, maximul bellum conficitur, ac libertas recuperatur. Post hanc victoriam Britanni, qui contra externum hostem optimè conspirare solebant, ipsi iam inter sese consentire nequeunt, atque ad veteres factiones seditionesque redeunt. Asclepiodatus iam rex factus impotentiùs se gessit, ac multorum animos alienauit. Alterius factionis Coilus Colcestriæ Dux principem locum obtinebat. Hic, cùm res ad manus peruenisset, regem prælio pulsum occidit, ac regnum occupauit. Interea Romani iam aliquot annis intermissis, Constantium

qui

qui pœnas a Britannis repeteret, Insulamq; reciperet, cum max. copijs remittunt. De cuius aduentu certiores facti Britanni, & superioribus bellis consumpti, & ciuilibus discordijs fatigati (cùm nullum tempus intercederet quod vacuum à bello atque otiosum fuerit) simul quantum in se facinus admisissent non ignari, vt, si a Romanis victi essent, in omnem cruciatum se venturos intelligerent, de resistendo cogitandum non censent: præsertim, cùm vtri remp. tenerent, non multùm interesse ad pacem atque ocium existimarent. Legatos igitur ad Constantium de pace mittunt, & se in eius fidem & potestatem futuros ostendunt: denique de iniurijs, quas Romanis intulissent, se omni ratione satisfacere paratos pollicentur. Eorum satisfactione accepta, Constantius pacem confirmauit, ac reip. partes labefactatas restituit, superiore illa calamitate admonitus socios atque amicos populi Romani non amplius crudelitate retinendos, sed omni lenitate potius atque clementia permulcendos putauit. qua de causa, vt omnia iam plenissima pacis fuerint, tamen ne gens rursus mobilitate animi deficeret, amicitiam hanc nuptiarum firmissimo fœdere sancire, atque vxorem è Britannis habere placuit. Coili igitur nuper mortui filiam Helenam ægregia forma plurimisque literis præditam de summa suorum voluntate in matrimonium duxit. His reb. transactis Constantius se Romam cum

vxore

vxore recepit, ac paulo post Imperator factus, 30. annis Romæ simul & Britaniæ præfuit. Cui in vtraque rep. Constantinus (is qui magni cognomen inuenit) F. ex Helena procreatus successit. Paulo post huius ætatem Picti Scotique, qui iampridem illo muro tardati quiessent, noua quædam commouent, belloque Britannis vltrò illato prouinciam vexare instituunt. pluribus enim locis & perruptis & transcensis munitionibus se in nostros fines magnæ multitudines profudêre, multisque nos incommodis inopinantes affecêre. Necessario igitur tempore Romanorum iterum auxilia arcessuntur, barbariqúe pelluntur: &, quòd ille murus terreus prorerum natura dissipari facilè scindiqúe poterat, alter eodem loco ex lapide murus latus 8. pedes, duodenos altus extruitur. Nihilo segnius tamen post Romanorum discessum barbari (qui Britannorum cultum, soliqúe bonitatem degustassent) consuetudine sua premere & vrgere, neque hac munitione prohiberi contineriqúe posse. Legati igitur ad Romanos (qui tum in Gallia belligerabant) vt sibi subsidio veniretur, recurrunt. Hi maioribus negotijs districti recusant, atque vt in sua sibi in posterum virtute & diligentia subsidium positum sit, monent & hortantur. Cùm ab hac igitur spe deiecti essent Britanni, &, magna multitudine hominum occisa aut in seruitutem abducta, cùm reliqui in oppida compulsi agrisque mulcta-

tise

ū se commouere non possent, hostis autem instaret atque immineret, ac res esset ad extremum deducta casum, ad extremū atque vltimum consilium decurrunt: Legatos ad Britanniæ continentis regem dimittunt, quo in loco res sit demonstrant, petunt atque orant, vt sibi pro sanguinitatis & gentis necessitudine in summo ac difficillimo tempore subueniatur: deinde si per eum pulsis ac submotis barbaris ocium atque libertas redempta sit, gratiam a parte sua relatum iri amplissimè confirmant: denique eò tandem descenditur, ratione nulla Romanorum, qui clientes suos deseruissent, habita, Constantinum regium fratrem, si rem obtineret, regnum per eos Britanniæ consecuturum. Itaque, ne lōgum sit, cum Constantinus exercitu transmisso hostibusque remotis pacem restituisset, atque in regni per Britannos possessionē profectus ex pactione fuisset, eo loco Romanorum in Britannos imperium, quod 483. annos obtinuissent, penitùs extinctum est.

A. C. 327.

COnstantinus, paulo post initum Britanniæ regnum, à Picto quodam, quo multùm vtebatur, & quocum de maximis rebus communicare solebat, occiditur. Erat p id tempus in Britannia longè potentissimus ac ditissimus Cornubiæ Dux Vortiger. is, cùm regnū diu cupidissimè appetisset, neque adhuc exitum aliquem consiliorum reperisset, hāc optimè oblatam occasionem non dimisit. Habuit rex

it rex tres filios, duos optimæ ſpei adoleſcentes Vtrum & Aurelium, maximum verò natu Conſtantium facili ac ſimplici hominem natura, qui ſe patre viuo in monaſterium abdiderat, reliquumque vitę religioſè ducere ſtatuerat. hunc Vortiger è latebris inuitiſsimum extrahit, atq; in regno collocat: homini minime malo cuſtodes ac ſtipatores, qui dominum per inſidias tollerēt, Pictos ſicarios ponit. Qua indigniſsimè cæde facta eius fratres Vter & Aurelius, ſibi à ſimili caſu timentes, regnū relinquunt, atque in Britanniam continentem profugiunt. At verò Vortiger rem ita bellè diſsimulat, vt auertendę ſuſpitionis cauſa & mortuum fleat, atque in percuſſores, qui præmium ferre deberent, animaduertat. His factis regnum facilè vi & armis inuadit. Hoc interim ſpatio Picti dolore ex morte ſuorum commoti, adiunctis ſibi Scotis (quorum auxilijs atque opibus ſemper, ſiqua bella inciderant, ſuſtentabant) bellum Vortigeri denuntiant, maximiſq; coactis copijs ſummo conatu & contentione animi rē gerere incipiunt. Hîc Vortiger ſuorum à ſe auerſam meritò voluntatem timens, tranſmarinis auxilijs confirmandum ſe, neque domeſticis ſubſidijs fidendum ſtatuit. Saxonum igitur Germanorum copias propoſitis ampliſsimè prę̄mijs auxilio arceſsit. Hi & natura bellicoſi homines, & vortigeris pollicitationib. inuitati frequētes tranſeunt, exercituq; celeriter collecto barbaros propellunt, atq;

in

in suas sedes reuerti cogunt. Hostib. pulsis regnoque liberato Vortiger tamen auxiliares & transmarinas dimittendas copias non censuit: sed eorum se omni tempore, ad inijciendum & ciuibus & hostibus terrorem, vtili ac fideli opera vsurum sperauit. Retentos igitur non ingratijs Germanos præcipuo semper honore habet, agris in Britannia sedibusque donat, & quo firmiore amicitiæ vinculo coniunctus sit, vxore sua ex qua liberos habebat repudiata, ducis eorum Hengisti filiam bona forma sed impia religione virginem in eius locum ducit. Quibus de causis Britannorum in regem odia, Saxonumque in dies opes atq; auctoritas creuerat. Tanta enim quotidie multitudo transibat atq; in Britannia confederat (cultum enim nostrum homines feri ac barbari adamarunt) vt Britannis iam viribus & potentia prope pares viderentur: nec dubitarent aperte has conditiones ferre, vt Britanni rura colerent, atque rei domesticæ darent operam: Saxones autem rei militari studerent, ac sub ipsis stipendia mererent: eo consilio, vt aliquos in armis exercitatos atque rei militaris peritos, qui imperij fines tuerentur, tanquam in procinctu semper & statione haberent. Percepto dolo Britanni communi consilio regem adeunt, rem planè ac liberè exponunt, docent quam turpe rem Saxones honesta præscriptione texissent, monent, eùm vix iam illis obsisti posset, si opibus quotidie fiant auctiores,

quan-

quantũ in periculum de ſumma rerum veniatur: denique quibus rationibus exiſtiment his malis occurri poſſe demonſtrãt. Quam rem grauiſsimam Vortiger (qui maiorem alienis quam ſuis fidem habebat) leui momento æſtimauit, Britannoſque, cùm ſe circumuenire velle diceret, non modo negando ſed etiam irridendo eſt inſecutus. Ab hac igitur ſpe depulſi Britanni vnum reſtare cui ſtudendum ſit exiſtimant, ſi Vortigerem proditorem expoliare regno, Vortimeremq; F. (qui Saxonum alieniſsimus rationibus videbatur) ſubrogare poſſent. Quid multa? inito conſilio rem citò perficiunt, atque adoleſcentem contra hoſtes omnibus præſidijs copijſque muniunt: hic rempublicam fortiter & feliciter ductu ſuo gerit, Saxones bello perſecutus quatuor max. prælijs perpetuò vincit, omneſque ad extremum in inſulam Tenetam, vbi primò conſederant, magnis incommodis illatis compellit. Germani ſic exagitati, cùm propoſitum tenere vi & armis nequirent, atque eo ſe deiectos dolerent, alia agendum ratione putabant, conſilium capiebant ſceleris & perfidiæ plenum, ſed quo, ſi modò perficere poterant, omnia ſe habere ſperabant: Hengiſti filiam (quam Vortigeri nuptam demonſtrauimus) quæ, Vortimere veneno necato, & viro regnum, & patri ciuitatũq; libertatem reſtitueret, ſobornabant. Ne multa, hæc omnia ſimul vno vnius nefariæ fœminæ ſcelere complentur, Vortimer

ab

ab nouerca necatur, regnum recipit Vortiger, Saxones in antiqua omnia spemque posteri temporis reuocantur. Dux igitur Hengistus, qui imperium iampridem Britanniæ spe deuorarat, vnius iam diei prolationem frustrationem putat, simul ac ei occasio visa est, armatum concilium indicit, quid suæ voluntatis & consilij sit ostendit, queritur exploratam victoriam atque prædam cunctatione sua & ignauia distineri, hortatur vt temporis oportunitatem capiant, neue in longiorem diem negotium differri patiantur. Re ab omnibus probata, Hengistus pronunciat bellum Britannis primo quoque tempore interposita causa faciendum. Itaque inter se cohortati discedunt, celeriter confecta causa bellum parare, Vortigeremq; veterem amicum summa vi oppugnare instituunt. Quibus rebus cognitis Vortiger iam hæret, æstuat, quò se vertat non habet, queritur eos, qui per se creuissent, ijs opib. ac neruis ad suam perniciem abuti. Dum sic exanimatus pendet animi duo simul occurrunt consilia, vtrum se in Saxonumne, qui iam patriæ suæ bellum inferrent, quibuscum sibi tamen omnia iura summæ necessitudinis intercederent, fidem conferret: an auxilium ab suis potius, quos despexit semper ac metuebat, qui in eadem tamē causa & periculo versarentur, expeteret. E duobus consilijs explicitius videbatur se ad ciues adiungere, patriamque defendere. His igitur difficultati

bus

bus affectus Vortiger ad Britannos confugit, eorum fidem implorat, non longa vtitur oratione, scire se nihil ab ipsis merito suo tribui posse, vnum hoc, ne se destituto patriam etiam prodant, monet. Ne sim etiam ipse longior, Britanni periculo suo, & amore patriæ commouentur, quantas max. possunt copias summo studio & celeritate cogunt, atq; hostium consilium expectant. Hengistus iam erat in itinere, ac paucis diebus properans ad Britannos peruenit. Quos cùm omnibus rebus paratissimos contra opinionem offendisset, Vortigeremque, quem ab suis ferè desertum in sperabat, summis iam Britanniæ copijs enixè iuuari vidisset, consiliũ prælio decertandi deposuit, doloque aut insidijs, si qua facultas daretur, nitendum statuit. Insidiarum rationem sic explicabat, Vt legati mitterentur, qui de pace cum Britannis agerent, peterentq; quo de conditionibus transigi posset, vt omnis vtrinque nobilitas arma poneret, atque aliquò in colloquium veniret. id si impetratum esset, suis præcipi voluit, vt secum cultros clam gestarent, signoq; dato hostes, præter regem, ad vnum omnes interficerent. Re deliberata, legati mittuntur, mandata ducis perferunt, facilè illis de re probant, de loco & tempore infertur controuersia: citò conueuit, vt vniuersa ex vtraq; parte nobilitas in Sarisburiensem planiciẽ postero die descenderet, atque æquo ab vtrisque castris spatio consisteret. His con-

stitutis, omnia postridie diligenter fiebant, cùm celeriter se expediunt Germani, signoq; misso ciltros educunt, atq; in Britannos (qui numero ad 500. homines nobiles erant) impetu facto, ad vnum omnes occidunt: rege, vt præceptum fuit, excepto. Nobilibus ita per fidem in colloquio circumuentis, regem Hengistus non tam affinitate & beneficijs, quibus astrictus erat, adductus, quàm quòd ex vsu id Saxonum fore putabat, diligenter conseruauit. Per eum enim, vt hactenus feciſſet, sic reliqua se conata perfecturum sperabat. Nam vt ab duce atque nobilitate orbati fuerint Britanni, tamen, si quem fortè tanta multitudo (Saxonibus enim immani numero præstabant) sequeretur, eam meritò potentiam metuebat. Itaque expectãdum illud, quo de summa re ageretur, tempus statuit, cùm copijs auctis atque applificatis pari Saxones certamine, atque æquo cum hostibus Marte contendere queant: satis habet in præsentia, si quid per compositionem, dum in timore fuerint hostes, exprimere atque extorquere possint. Agit igitur cum Vortigere ac perficit Hengistus, Vt, quando Saxones bene de eorum Republica meriti in remotam ac deserram Insulam relegentur, aliquos sibi in mediterraneis regionibus, quos pari cum amicis ac socijs iure colere possint, agros ac terras largiantur, seque in posterum firmos ac fideles Britannis fore amicos recipit. Quatuor igitur agri feracissimas

mas regiones, Cantium, Sussexiam, Suffolchiam, & Norfolchiam ex compositione tulerunt, atque hunc sibi domicilio locum delegerunt. His rebus expletis Saxones non cessant, negotium vrgent, ampliores quotidie suorum copias euocant, agros attribuunt, præterea Britannos complures spe prædæ prolectant, ac se plus plusque indies confirmant. Quamprimum se satis valere sunt rati Germani, bello Britannos iterum illata causa lacessunt: hi se contrà defendunt, & pro viribus resistunt. Vt omittam multa, aliquot per annos inter hos continentia prælia intercedunt, Britanniſque semper peius succedit tempus, donec continuis incommodis afflicti, omnibus precibus detestati Vortigerem, (cuius opera perierant) ad extremum sedes relinquere, atque vndique fuga facta Cambriam petere, captisque montibus & silua ibi considere coacti fuerint. Est hæc regio aspera & montosa, & difficiles aditus atque impeditos habet. Huc igitur coniectos Britannos longius non sunt insecuti Saxones, sed optimis possessis agris, has illis solitudines remiserunt. At verò Vortigeri, iam ab externo hoste otioso, ne nunc quidem per suos pace frui licitum est. Tandē enim Vter & Aurelius, quos antè profugisse dictum est, reuertuntur, ac non solùm hæreditatem regni à Germanis, sed etiam à Vortigere (qui fratrem eorum per proditionem occidisset) pœnas paricidij persequuntur. Hunc igitur primùm

summis suorum studijs copijsque subleuati fratres vehementer vexant, atque vndique bello peragitatum, in castello quodam, quo se continebat, oppugnatum tandem obsessumque comburunt.

ALtero hoste deleto, ad Germanos contendunt, Hengistúque filium Octam, qui Eboracum occuparat, omnibus copijs oppugnare instituunt. Quid multa? Saxones circumsessi, atque omnibus rebus necessarijs intercluſi in deditionem veniunt, atque Octa captus interficitur. Horum igitur fratrum ductu Britanni ex tot continuentibus calamitatibus respirare, ac se paulum colligere cæperunt.

QVo tempore etiam Arthurus Vtri filius 15. omnino annos natus susceþit Rempublicam, patriamque in liberandâ patria gloriam multùm cumulauit. Is vndenorum annorum spatio, quo regnum Britanniæ tenebat, duodenis maximis contra Saxones prælijs vsque superior fuit, eorumque opes & neruos vehemẽter deminuit atque infirmauit: quos penitus ex Insula forsan expulisset, si non illius impetus & conatus mors in medio cursu immatura fregisset. Hoc lumine extincto, posteri non modo nihil acquirere, sed ne illa quidem, quæ à maioribus accepissent, retinere potuerunt. Nunc enim Britanni in antiquum recidunt fortunam, eunt retrò quotidiè, quoad continuis belli offensionibus propè consumpti solum tandem vertere, ac derelictum in perpetuum patria

peri-

imperium dimittere, in Cambriamque rursus fuga se recipere compulsi sunt, neque post id tempus Britanni, sed ab Saxonibus Oualli (quæ vox peregrinum illorum lingua valet) appellantur: Hi verò imperio potito, eoq; in 7. regna diuiso, totam eam terram, quam obtinebant, Angliam ab Anglis suis nuncuparunt. *A. C.* 589.

DE REBVS GESTIS *Britanniæ commentariolorum*

LIBER II.

PAVCI anni transierant, cùm Papa Gregorius, cognita barbaria atque impietate prouinciæ, quibus iam omnia tenebantur, hanc sibi curã suscipiendã existimarit. Docebat enim vir bonus & acerbè ferebat eam insulam & terram, quam maiores eius à fera & barbara ad humanitatis & religionis cultum traduxissent, rursus efferari, atque omni religione deleta, barbarorum rursus inscitia caligineque oppletam occupari. Quamobrem legati iterum in hanc Insulam à Papa mittuntur, (cuius legationis Austinus monachus, quem supra nominauimus, principem locũ obtinebat) Qui cum Anglis agerent, ne reliquias veteris Christianæ gentis opprimi vellent, atque vt ipse populus Germanus, qui iam hanc terram possideret, ab impietate discedere, & Christianam recipere religionem animum induceret. Quid opus est plura? Persuadetur Cantij Regis primum Ethel-

A. C. 604. berto (qui ædem etiam tum Pauli Londini dicabat:) atque huius exemplum deinceps reliquis secutis regibus, tota rursus Insula paulatim fit Christiana. Quo pacto hominum barbarorum duri mores immanisque natura religione imbuta mansuescere sensim, ac remollescere cæpit. Paulo enim infra hanc memoriam Cantabrigiensis Academia à Sigeberto Orientalium Saxonum rege constituta est: tantumq; minutatim desue barbaria fiebat, religionisque apud eos ac bonarum literarum cultus valebat, vt per idem fere tempus rex Iuus, qui Australibus Saxonib⁹ imperabat, regno sponte deposito, tenuem & miseram cum otio & religione vitam optarit, seque vnà cum vxore in Monasterij solitudinem abdiderit.

A. C. 636.

A. C. 778. LOngo interuallo, Bithrico in ijsdem regnante Saxonibus, sanguinis itenum imber in Anglia defluxe proditur, ac mirabili modo in hominum vestes illapsus crucis similitudinem effecisse. Hoc eodem tempore Daci, ex Germanis itidem orti, multitudines hominum exemplo Saxonum transportare, maritimasque regiones incolere atque habitare cæperunt. At verò ab Anglis vehementius exagitati diutius consistere nequibant, atque eodem citò, quò venerant, receptui consulebant. rex Bithricus, postquàm imperium diu cum laude tenuisset, ab deterrima muliercula vxore sua Ethelburga veneno sublatus est. Quod immane facinus detestata

nobi-

nobilitas decretum fieri posterisque prodi voluit, Ne regum vnquam in posterum tempus vxores reginæ nomine afficerentur, neue vllius participes maiestatis in solio cum regibus assiderent. Paucis annis intermissis Daci, quos reiectos diximus, mare rursus cum ampliſsimis copijs traiecerunt, regemque Egbertum, qui magnam Angliæ partem possidebat, prælio vicerunt: ex eoque tempore tam firmas hîc sedes ac domicilia collocarunt, vt remoueri rursus nullo modo potuerint, & continuis diebus opibus numeroque adaucti Anglis tandem, vt illi Britannis feciſsent, periculum de summa imperij curamque attulerint.

QVibus rebus adductus Australium Saxonum rex Aluredus (is qui Oxonienſem fundauit Academiã) quã maturrimè occurrendum putauit, & quòd alia multitudo Dacorũ expectaretur, quã primum confligendum ſtatuit. Celeriter igitur exercitu coacto legatos ad Dacos mittit, Ne vim facere vellent, atque vt de finibus Anglorum, qui nihil ad eos pertinerent, ſua ſponte decedant: id ni faciant, ſe vi vim illatam defendere, atque armis de ſuo iure decertare paratum. Ne multa, nihil eius minis Daci mouentur, req; ad arma deducta, vtrinq; firmiſſ. copijs caſtra caſtris conferunt. Vbi rem ducere Aluredus, atq; occaſiones obſeruare, nec, ſi ſolertia aliqua ſuperior eſſe poſſet, æquo Marte contendere, ac ſe exercituſq; fortu-

A. C. 872.

nas in dubium deuocare statuit. Non enim minus esse imperatoris existimat cõsilio quàm gladio vincere. Quamobrem se castris continet, neque hostibus pugnandi potestatem facit. Interim per causam explorandarum hostium rationum rẽ plenam audaciæ suscipit, habitum indutus tibicinis in Dacorum castra transit, arteq; sua, qua plurimum pollebat, eorum animos oblectat, atque ibi sine vlla suspitione versatus omnem rationem castrorum, & magnam consiliorum partem cognoscit. Consecutus id quod animo proposuerat, se inde rursus corripit, atque ad suos recipit. Ad quos, statim concione aduocata, rem palam proponit, Dacorum luxuriem atque oscitantiam docet, hortatur vt se ad pugnam parent, neu tantam fortunã è manibus dimittant: denique quid fieri velit ostendit. E castris silentio noctis egressus ad Dacos peruenit, subitò eos necopinantes somno vinoq; oppressos adoritur, ne arma quidem capiendi facultatem dat, sed nouitate rei perteritos atque impeditos acriter vrgens, magnam partem concîdit, reliqui se ex castris eiecerunt, atque impedimentis amissis præcipites se fugæ mandarunt. Quibus omnibus postea in deditionem acceptis, ijs, qui Christianam amplecti religionem vellent, regiones Angliæ ad orientem incolere permisit, reliquis omni insula interdixit, & confestim discedere iussit.

Alu-

ALuredi filia Elfeleda medias Angliæ partes obtinebat. Hęc puerperij dolores ſemel experta, iterum in viri complexum venire nolebat, cùm negaret eſſe primariæ fœminæ eas voluptates ſequi vnde dolor poſtea tantus oriretur.

ADelſtanus Aluredi nepos (felix progenies) eiectis penitus Datis, Ouallis pacatis, omniq́ue Scotia deuicta maiorum facile gloriam adæquabat. Hoc igitur tenente, poſt magnam imperiorum & fortunæ varietatem, res rurſus ad vnius imperium (monarchiam Græci vocant) récidit.

AT huius longè diſſimilis nepos Eduinus à naturali ſtirpis bono degenerauit vitio deprauatæ voluntatis. Eodem enim die, quo rex impoſito diademate factus eſt, vim cognatę ſuæ hominis nobilis vxori multis inſpectantibus intulit: nec ita multo poſt eius virum, quo flagitijs ſuis frui poſſet liberius, innocentem interfecit. Quæ ſcelera longiùs impunè homo conſceleratus non tulit, odioq́ue incenſa nobilitas Eduinum tertium iam hunc annum regnantem à reipublicæ procuratione demouit, Edgarumq́ue fratrem, virum omni laude ornatiſsimum, in eius locum ſubſtituit.

HIc in cæteris eius rebus ſapienter geſtis viam etiam reperit, quâ via lupis immaniſsimis beſtijs (quæ tunc omnia vaſtabant) penitus hanc Inſulam vindicaret. Rationem autem conſilij ſic expe-

diuit; Vt à rege Ouallorum, qui tunc Angliæ vectigalis erat, 300. in singulos annos lupos stipendij nomine exigeret, atque id vsque faceret, dum eius bestiæ species, tanta diligentia conquisita, omnino deficeret. Quod sapiens consilium fœlix euentus comprobauit. Nunquam enim post id tempus manus in Insula lupus visus est. Hac re emerita, rex statim alteram ex imperij sui finibus non minus feram atq; immanem bestiam Ebrietatem exegit. Cùm enim immanioribus poculis ciues sui patrio more vterentur, nec aliquis modus haberi posse videretur, Edgarus ipse equo vectus omnes partes circuibat, popinas passim (vna vno in vico relicta) deiecit: præterea quantum quisque vno haustu, notis in patera descriptis, inferret, edictum proposuit. Neque verò in hoc rege magnanimitatis exempla defuerant. Dum animi causa consistebat Oxelli, atque à prætorio rei diuinæ faciendæ causa ad D. Ioannis transibat, ratem ab 8. regibus, ipso clauum tenente, remis incitari voluit. Hi autem erant Cumbriæ, Monæ, Septentrionalis Australisq; Oualliæ, Damniorum, & Gallouidiæ reges: quos id temporis omnes sub imperio ac ditione sua habuit.

VErùm huius filius Etheldredus ignauia & turpitudine sua non solùm patriam, sed etiam omnium maiorum gloriam delebat. Cuius sub imperio Angli, qui expulsis aut in fidem receptis Da-

cis

circa annos in libertate atque in laude vixerunt, rursus in eorum seruitutem impositio stipendio veniebant: ac tam nullius vsus rex fuit, vt Daci dimissi cum stipendio rursus identidem eo consumpto redire, longè lateque prædari, ac, cùm se antè explessent, non sine muneribus amplissimè datis abscedere consueuerint. Cùm sic animi mollicie Etheldredus victoribus seruituti addictis patriam prosterneret, ciues verò eum quotidie vocibus carperent, atque ignauiam obiectarent, eò denique compulsus est, vt aliquid sibi agendum & moliendum putaret, & tamen quiduis potius, quàm aliquid virtute conandum. Consilium igitur iniit pro sua dignitate parum honestum, pro rei periculo satis tutũ, Vt clam dimissis quoquouersus nuntijs, omnes Dacos, qui in Insula quauis de causa manerent, vna die & hora constitutis comprehendi à magistratibus interficique iuberet. Quà re diligenter administrata, fama iam de cæde Dacorum per orbem terrarum percrebuit, atque ad regem Daciæ Suenonem in Germaniam peruenit. Hic è vestigio furenter iratus nullum tempus vlciscendi dimittendum existimat, bellumque parare quamprimum instituit. Infinitis igitur coactis copijs, classeque quàm maxima expedita, atque in vnum locum contracta, cursum ad Angliam versum dirigit. Eò cùm peruenisset, dimisit plures manus, nauesque in multas Insulæ partes eiecit, hostesque vu-

dique vno tempore vexare constituit. Eo consilio, vt Anglorum copijs, distentis ac multitudine circumuētis, simul eos & suis rebus desperare cogeret, & fugam etiam intercluderet. Daci igitur tantum studio & virtute paucis diebus effecerant, cùm omnium animi ad vlciscendum arderent, capto atque abacto pecore, frumentis succisis, oppidis vicisque exustis, hominibus vsque ad impuberes flamma ferroque necatis, vt omnes propè ad perniciem profligatæ Anglorum fortunæ perditæque viderentur. Ex qua tamen cæde media rex ipse Etheldredus euaserat, atq; ad Richardum Normanorum Ducem, cuius filiam in matrimonio habebat, cum vxore libericque profugerat.

IAm igitur Sueno Dacus rerum potitur, ac se regem Angliæ declarari iubet. Hoc mortuo, ad eius filium Canutum hæreditas regni peruenit.

SEd ecce tibi repente Etheldredi filius Edmundus, Suenonis morte percepta, in Angliam clam redit, reliquijs internecini illius belli collectis ab Canuto regnum depoſcit, armisque, si defugiat, ius suum exequi paratum dicit. Breue faciam, aliquot inter eos prælijs factis, ad extremum conuenit, vt diuiso regno circumscriptisque finibus simul vterque sine alterius offensione animi regnaret. His constitutis, non longo post tempore quidam Angliæ Comes nomine Edricus, qui ea re se Canuti gratiam redemptorum spe-

sperabat, regem suum Edmundum occidit, atque ad Canutum rem lætus deferens Hoc, inquit, amoris tui causa Canute feci. Quē statim Canutus excepit, ac præmium, inquit, tanto facinore dignum feres. Te enim in altiore loco & gradu, quàm in quo quisquam Anglorum est, collocabo. Simulque eum comprehendi, atque securi feriri iubet, abscissumque caput in hasta fixum in altissima vrbis porta constitui. Ex eo tempore regnum Angliæ ad Canutum stirpemque eius integrum, sed ad breue tempus pertinebat. Cùm primùm enim eius filij duo (postquam triennium vterque regnasset) non sine suspitione veneni sunt mortui, gens vnà quoque Dacorum occidit.

His extinctis, Edoardus alter Etheldredi filius (qui Confessoris cognomen habebat) ex Gallia euocatus recepit imperium, Anglorumque gentem iam intermortuam excitauit. Neque verò familiam solùm suam Edoardus, sed totam etiam Rempublicam afflictam & prostratam erexit, veteresque leges ac mores perpurgauit: quos propterea quòd ad rem omnium communem salutemque direxerat, Commune ius appellauit. Post huius mortem, quòd liberis orbus decedebat, inter Gulielmum Normanorum Ducem huiusque nepotem, & Haroldum magnæ potentiæ Dacum de imperio est coorta contentio. Gulielmus, quòd Edoardi proximus hęres, etiam ab eo scriptus esset, regnū vendicare

Con-

Cõtrà Haroldus ex iure Canuti, cui propin
qua cognatione coniunctus erat, petere &
persequi, præoccupatoque regno vi id tue-
ri, alterumque prohibere contendit. Con-
feramus in pauca, Gallus magno exercitu
transmisso armis concertatum venit, & cũ
Haroldi copijs ad oppidum Hastingum in
Sussexia congressus est. Quo prælio victis
Anglis Haroldus occiditur, Gulielmusq;
potitus, vtramque simul Anglorum
Dacorumque gentem in per-
petuum delet.

A. C. 1067.

DE

DE REBVS GESTIS *Britanniæ commentariorum*

LIBER III.

GVLIELMVS VICTOR.

HOc bello confecto, Normanus se Victore cognominari voluit, exercitum suum honoribus, bonis, agris Anglorũ donauit, incolas ipsos partim sedibus ac fortunis iectos patriæ solum vertere, partim, dura seruitutis conditione iniuncta, omnes indignitates contumeliasque perferre coëgit: vsque eò, vt iam in Anglia nomen ipsum Angli in odium atque in ignominiam venerit.

In hoc communi incendio vni ex omnibus Cantiani integri inuictiq; supererant, vni se victori opponere, libertatemque defendere non dubitarunt. In eos igitur celeriter compositis rebus exercitum Victor ducit. Cantiani interim copias cogere, ciuitates sollicitare, plebem concitare, ac, nisi patrijs institutis legibusq; seruatis, honestissima condicio pacis offeratur, extremam belli fortunam periclitari con-

conſtituunt. Summam imperij Stigando Cantuarienſi Archiepiſcopo, ac Monaſterij præfecto (quem Abatem dicunt) Ethelſino deferunt. Hi omnibus rebus ad bellum parati ad ſiluam Suaneſcombam conſidunt, ac Normanorum aduentum præſtolantur. Galli iam contemptis hoſtibus ac ſuperioris temporis prouentu ſublati, raptim atque turbatè omnia agere, indiligentius iter facere, omnemq; moram aut diligentiam ſuorum virtutem ſpemque minuere, ac tardare victoriam exiſtimare. Quibus rebus per exploratores cognitis, occaſionem rei bene gerendæ ſacerdotes arripiunt, quo pacto hoſtes inopinantes atque inſcios per inſidias opprimere poſſint cogitant, conſilium capiunt, vt viridem quiſque abſcindat ramulum, ac præ ſe ferat, itaque occultatum in acie certis ordinibus agmen procedat. Erant in via, quà hoſtes iter habebant, multis millibus paſſuum campeſtria atque demiſſa loca: hæc ſatis alti vndique montes excipiebant. Eò promoueri, atque in his ſummis montibus conſiſtere ſic agmen iubent, vt ſummam ſiluæ ſpetiem atq; opinionem præbeat. Deinde, quamprimùm ſe hoſtes in conuallem demittant, vt proiectis frondibus ſe armatos oſtendant, atque ad hoſtes paullum progrediantur, præcipiunt. Quibus rebus ex præſcripto completis, cùm ſe hoſtes, prout prouiſum fuit, iniquis locis ſubiecerant, ac iam primùm quid inſtar ſiluæ promoueri ſenſerant, deinde puncto

temporis armatos in acie hostes viderant, concursare & trepidare, nec, quam se in partem conferrent, intelligere. Cùm sic, inquam, omnia Gallorum consilia frigerent, legati sacerdotes, vt inter se constituerant, ab Cantianis exeunt, hostesque timore perterritos paullum confirmant. Vt ad ducem ventum est, legationem renunciant, cuius hæc summa fuit. Si ipsis posterisque per eum legibus ac moribus antiquis frui liceret, se pacem cum eo esse facturos: sin postulata sua neglexisset, se occasione temporis vti, atque armis de suo iure disceptare paratos. Quorum oratione percepta, Victor, etsi conditiones sibi ab hoste victo ferri dolebat, tamen necessitate coactus rem concedendam, & quauis vtendum conditione putabat. Itaque legatos liberaliter oratione prosecutus re impetrata dimittit, eosque in posterum bona spe complet: denique omnes data fide ab armis discedunt. Ex quo fiebat, vt, cùm totam remp. Victor commutarit, hanc partem non attigerit, atque eæ leges, quæ antè totius Angliæ communes fuerant, proprio pòst iure in Cantio solùm saluæ incolumesque permanserint: (præter quòd etiam ciues Londinenses episcopo suo, qui apud regem auctoritatem habebat, deprecatore vsi eadem immunitates, quas ab Edoardo Confessore accepissent, regio concessu chirographoq; confirmatas obtinuerint.) Non longo spatio quo hæc gesta sunt, cùm imperij grauitate oppressa

plebs

plebs se pluribus in locis commoueret, Victor, omnibus præcaris partib. huic malo, ne rursus accideret, medendum existimauit. Itaque omnibus ijs locis, quæ ad seditionem opportuna videbantur, firma castella communiebat, præsidia collocabat, speculatores apponebat qui plebem obseruarent, atque in officio continerent: præterea nocturnos coitus & conuentus veritus, quo tempore quisque omni lumine extincto cubitum iret, ac se quieti daret, signum prima nocte campana mitti volebat. Quem Angli sonitum adhuc Gallorum lingua *Couurfeu* vocant. His negotijs expeditis, iam Suenonis quem suprà diximus, hiberi ex Germania excedunt, magnoq; nauium numero in Eboracensi conuentu appulso bellum Victori facere, vique ius regni petere contendunt. Verùm hi celeriter a rege profligati re infecta refugere, atque ijsdem itineribus, quibus eò venerant, ad salutem contendere coacti sunt. Quibus pulsis, Eboracenses & iucundiæ regiæ, & fortunæ pœnas pertulerunt. Victor enim omnem eum tractum insulæ, qui inter Eboracum Dunumque interiacet, quòd hostibus fauisse finibusque suis eos recepisse dicebatur, ita vastauit ac depopulatus est, vt agri solum ab incolis derelictum inconsitum incultumque nouenos annos vacarit. Extremis ferè regni temporibus Gulielmi maximus F. Robertus, ad quem patre mortuo Normania pertinebat, quod regno super tan-

to parto sibi tamen patrimonio cessum nō erat, rem indulgentius ferre, occupatoque tempore prouinciam vi & armis inuadere instituit. Qua petulantia commotus Victor, exercitum conscribit atque in continentem transit, bello contra filium contendere, iusque summ obtinere parat. Veruntan eo, cùm res ad manus deducta esset, casuque cecidisset, vt hi comminus rem gererent, patremque filius equo deiceret, hic, percepta paterna voce, hostilem personam exuit, ac pietatis partes egit. Protinus enim ad pedes desilijt, ac patrem hostium incursu telisque penè obrutum texit & conseruauit. Eoque casu & repentè prælium, & in posterum controuersiæ sunt diremptæ. Gulielmus Victor strumam quandam (quod malum regium vulgò, ob id fortè, vocatur) solo manuum contactu curabat: atque eadem postea medendi virtus diuinitus ad omnes Angliæ reges reginasque tanquam Hæreditario quodam iure transfusa manauit. His rebus vt potui breuiter ac summatim positis, visus tandem videtur poscere, vt numerus etiam annorum ordine seruato rebus à quoque gestis attexatur. Victor igitur in Anglis regnum 19 annos & vndenos ferè menses obtinuit.

RVFVS.

HVic Rufus F. successit. His temporibus è fonte quodam in conuentu Bercheriano sanguis mirandum in modum

modum ebullierat: ex eoque tempore diebus circiter 15. ingentes è Cœlo flammas emicasse constabat. De hoc rege nihil admodùm commemorabile scribitur, nisi quòd castellum illud nobile, quam Turrim vocant, ad fluminis ripam extruxerit Londini: atque huiusmodi ei casus affuerit, vt nullibi præter in ea septa silua (quâ vt efficerent ipse ac pater eius, multa longe latèque oppida ac sacras ædes delerant) errante in venatione sagitta vulneratus interierit.

Henricvs I.

HVnc, postquam 12. annos & 11. firmè menses regnasset, Henricus frater subsequitur. Is literis Cantabrigiæ diu operam dedit, atque eius rei amplissimum fructum percepit. Namque inde non modò continentiæ atque integritatis laudẽ, sed etiam Literati (quem sua lingua *Beauclercum* dicunt) cognomentum inuenit. Accedit, quòd Edoardi Confessoris æquissimas leges retulerit atq; emendarit. Non quo tamen huic per has eximias virtutes otiòso à molestijs, atq; ab iniurijs libero esse licuit. ab eodem enim Roberto Normaniæ Duce, qui bellũ antè patri intulerat, bello etiam nunc frater lacessitur. Hic, inquã, regni iam Angliæ hereditatem petit, atque animo etiam, si denegatum sit, armis repetere paratus est. Verùm has Henricus controuersias, antequàm ad vim ve-

veniretur, fœdere facto composuit. Fœderis autem conditiones erat, Vtuter eorum vita superasset, vtriusq; simul hæreditatem caperet: Roberto interim quadam quotquot annis pecuniæ summa pensitata. Qua re Dux regni cupiditate inductus diutius non stetit, denunciatoque bello, quod in longiorem diem pacto collatum erat, vi id repræsentare cõtendit. Ne sim longior, res ad arma redit, rex fratrem victum deprehendit, perpetuæque custodiæ mandat, hæreditas autem prouinciæ Normaniæ ad Angliæ regnum adiungitur. Ad id temporis Ioannes Cardinalis ad sacerdotium nostrorum ritus & mores emendandos à Pontifice Maximo missus est. Hic, cum in concilio publicè grauiterque in eorum libidines inuectus esset, postero ipse die in adulterio comprehenditur, magnamq; & inimicis ridendi obtrectãdique causam, & ordini suo dolorem atque ignominiam iniecit. Henricus Rempublicam Anglorum 35. annos & 4. menses moderatus est. Quo mortuo, controuersia de imperio inter filiam eius Magdalenam, atque Stephanum Victoris filia natum intercesserat. Inter quos post aliquot belli contentiones pactum fuit, Regno Stephanũ, quoad vita superesset, potiturum: morte verò obita, ad Magdalenæ id filium Henricum peruenturum.

Po-

STEPHANVS.

POstea igitur quàm 18. annos & 11. prope menses regnasset, Stephanus decessit, atq; Henricus Magdalenæ F. ex pactione regni hæreditatem creuit.

HENRICVS II.

QVo tempore pons Londinensis ex materia per sacerdotem quendam fieri atq; ædificari cæptus est. Henricus Hiberniam Insulam, quæ iam permultos annos ab amicitia Anglorum defecerat, recepit, iterúmque reip. adiunxit. Hic rex filium sé viuo suum diademate cingi voluit. Cuius rei incommoditatem infœlix exitus ostendit. Filius enim non ita multo post, ascitis sibi duobus fratrib. soceroque Gallorum rege, rebellionem fecit, impiumque contra patrem bellum atque arma sumpsit. Veruntamen tantum apud regem paterna indulgentia valebat, vt prælio deuictum illud genus ingratum non modò in fidem rursus & misericordiam receperit, sed etiam iterum filio suo vnà cum vxore diadema restituerit, volueritque, quo firmiore in posterum amoris vinculo tenerentur, vt cibum quotidie vnà caperent, atque in eodem omnes cubiculo cubitarent. Per hæc tempora vegrandis defluxisse grando proditur, ac tanta vi decidisse, vt homines atque bestias

passim

passim interfecerit. Eadem tempestate magnus Iudæorum numerus, qui per Paschalia puerum immolauissent, cruce affectus est. Henricus 34. annis, & paulo 7. mensibus amplius regnauit, eius, de quo antè dictum est, filij superstes.

RICARDVS I.

QVa de causa regnum ad eius F. secundum Ricardum (qui ob egregiam animi fortitudinem Cœur de lion Gallicè dictus est) gente peruenit. Dum huius creationis cæremoniæ peraguntur, Ne quis adesset Iudæorum (quorum erat in Anglia tunc magnus numerus) interdictum fuit. Ex quo, cùm regius seruus quidam Iudæum conspicatus increparet eum, diceretque à rege vetitum ne quis Iudæus interesset, magnus continuò tumultus excitatus est. Populus enim (qui plerunque leuem auditionem habet pro re cõperta) male percepta hominis voce, Omnes à rege occidi iussos ratus, impetum in Iudæos, qui tũ intererant, odio ac furore impulsus facit, omnesque, quos consequi potest, interficit: atque eodem impetu cursuque continuato ad vrbem contendit, domos Iudæorum compilat, liberis vim affert, ipsis vitas eripit, nec alicuius ætatis aut sexus vlli parcit. In quos latrones rex, quòd res ad plures pertinebat cùm summè cuperet, tamen animadvertere non potuit. Eadem igitur licen-

tia insequenti anno rursus Iudæi pluribus regni locis despoliantur, atq; ita misere vexantur, vt remediũ malorum morte quærere, ac suæ vitæ durius consulere coacti fuerint. Vt omittam reliquos, ex ijs, qui Eboraci constiterant, 400. fuerunt, qui de tempore & mortis genere inter se constituentes, sibi maiores venas incîderunt, atque vnà cum sanguine vitas etiam effuderunt. Suscepto regno, Ricardus fœdus cum Philippo rege Gallorum inijt, Vt coniunctis copijs vnà Turcis bellum inferrent, summisque simul opibus Hierosolymas, sanctam terram, recuperare contenderent. Rebus igitur Angliæ constitutis, atque antistiti, qui domi videret, Elienſi relicto, profectionem parat, votis nuncupatis exit, Philippum, quòd tardiùs rem administrabat, anteuertit, solus ex itinere Cyprum insulam, ne inficiens sit, opibus suis copijsque capit. Quibus rebus gestis, Philippus cum omnibus copijs consequitur, exercitibusque coniunctis simul Ptolemaidem (quam Acconem nunc appellant) oppugnant, oppidoque potiuntur. Ex qua victoria, vt fit, grauis inter duos reges coorta seditio est, ita vt manum conserere atque armis dimicare conarentur. Philippus perstat in iracundia, ac domum decedens socium non solùm deserit, sed etiam Normaniam (quam sub ditione nostra teneri demonstrauimus) hostilem in modum spoliare vexareque instituit. Eodem etiam tempore Ioannes

regi-

regius frater Angliæ regnum (quod in Elienſis antiſtitis procuratione relictum audiuimus) inuadebat. Ricardus ſic à Gillo proiectus, conatu tamen atque itinere non deſiſtit, omnemq; ſpem in virtute ac celeritate reponit. Itaque inde magno progreſſu ad Ioppem peruenit, vrbemque poſt grauem obſidionem recipit. Quid multis opus eſt? Turcas poſt id variis prælijs vincit, atque omnia indies ei ſecundiora cadunt, cùm repentè hominem in medio curſu fortiſſimum fortuna quoque deſerit. Iam enim ad eum de fratris, ac regis Gallorum iniurijs defertur, ſimul periculum atque anguſtiæ, in quibus prouincia verſetur, latius, quàm res erat, perſcribitur. Ricardus igitur præmetuens ſuis, atque auxiliari cupiens iter ſuppreſſit, res illius belli diſpoſuit, pacem cum Turcis in triennium confecit, Cyprum pro Hieroſolymis (vnde olim reges Anglorum Hieroſolymarum diu nomen titulumq; tulerunt) cum Guidone Luſiniano commutauit. His rebus explicitis, caſtra mouet, atque in Angliam omni ſtudio & celeritate incitatus fertur. Quo in itinere, vt Thraciam parua manu comitatus petebat, (partem enim exercitus cum vxore atque impedimentis præmiſerat) in hoſtiles regiones Dalmaciam Pannoniamque ſuperiorem tempeſtate delatus eſt. Dux huius Pannoniæ (quam nunc Auſtriam dicunt) graues cum rege noſtro, ex Ptolemaidis etiam expugnatione ſuſceptas inimici-

nicitias gerebat. Ab hoc igitur rex custodijs vndique dispostis capitur, atque ad Imperatorem Henricum asseruādus mittitur. Inde pòst magno redemptus, quam primùm ad Philippum persequendum in Gallia traijcit. Quid multa? Post varios euentus fortunæ, multis & illatis & acceptis incommodis, ad extremum in obsidione oppidi Calaci venenata de muro ictus sagitta deperijt, postquam 9. annos, & totidem menses regnauisset.

IOANNES,

HVnc insecutus Ioannes frater est. His temporibus memoriæ proditum est magnam rursus vim grandinis, qui ouorum gallinaceorum magnitudinem æquaret, cecidisse, ac grauissimam Anglorum tectis, frugibus, pecori calamitatē attulisse: præterea spiritus forma volucrum in aëre passim volasse, qui ignem rostris inferentes multa ædificia incenderint, Anglorumque incommoda & terrorem non parum auxerint. Ad hæc portenta accessit mirus ad hominis similitudinē & speciem piscis in Suffolchia captus, quē illi, cùm 6. menses aluissent, nec vocem exprimere potuissent, in mare dimiserunt. Hoc igitur administrante Anglia multis contumelijs acceptis humillima facta est. Nunc enim à Gallis vrgemur, magnoque numero fortissimorum hominum occiso, Normaniæ, Guinarum, Pictonum, Britan-

tannizque continentis iacturam facimus: hic se Papæ in fidem & potestatem dicat, hæredesque suos, in eius per legatos verba iurans, obstringit, Anglos in posteritatem imperium non nisi per Pontificem Maximum (stipendio etiam quotannis depenso) obtenturos: denique tam in rebus omnibus iners ac mediocris animi fuit, vt, cùm nobilitas coniuraret (quod sæpe fecit) si pacem atque otium redimere vellet, ad id, quod ei cunque ferebatur, perpetuò descenderit: atq; eum ad extremum Ludouicus regis Gallorum filius ab Anglis vltro euocatus expulerit, regnumque occupauit. Itaque iam patria & regno pulsus Ioannes, cùm sæpius rem frustra tentasset, nec priuatam exulis vitam ferre posset, (postquàm imperium septemdecem annos, ac sex menses plusculum tenuisset) desiderio consumptus est animumque despondit. Hic rex Londinensibus concessit, ijs magistratibus, quos Balinos vocant, & quibus antiquitus tenebantur, abrogatis, vt eorum ciuitas ab vno Prætore ac duobus Duumuiris regeretur. Nunc ille pons miraficis operibus extructus Londini (quem antea ligneum institutum audiuimus) quòd aduersus aquæ vim non resisteret, summo ciuium studio sumptuque refici, atque ex lapide firmissimè fieri cæpit. Post Ioannis mortem de regno inter nobiles nec sine armorum studio disceptatur: cùm alteri Gallum eo nomine ipsorum accitu euocatum, alteri Ioannis fi-

filium Hēricum, ad quem iure pertinebat, creare contendesent. Ne multa, post crebras præliorum dimicationes Ludouicus tandem, omni spe potiundi depositā, defatigatus pacem atque amicitiam fecit, Insulaque relicta incontinentem Galliam redijt: atque Henricus puer nonum agens annum rex constituitur.

HENRICVS III.

QVo tempore, habito concilio antistitum Oxoniæ, homunculus quidam, qui se Iesum Christum erat professus, vulnerumque vestigia ostentabat, impietatis damnatus cruci suffixus est. In Scotia Cathanenses numero 400. quòd episcopum suum, qui sacris eos interdixisset, igne cremarant, in crucem etiam sublati sunt, filiorū execta virilitate. Plebs Anglicana, quoniam frumentum angustiùs prouenerat, inopia subacta ad cibatum vrticas expediebat, cæteriſque inutilibus herbis extremam famem tolerabat. Nunc etiam de certis Iudæis, qui in Christi contumeliam puerum cruci fixissent, supplicium denuò sumptū est. Ex ijs vnus, qui per ferias suas (quod Saborthum sua lingua vocant) in cellam esset (honore præfato refero) familiarem forte delapsus, etiam de se supplicium nō irridicule sumpsit. Cùm, inquam, huc delapsus homo sanctus esset, nec se eodem die extrahi superstitione adductus pateretur, Christiani, vt

pat

par inepto referrent, postridie (quod Christianorum Sabbathum fuit) hominem iudē eximi non siuerunt. Perendino igitur die, cùm salutatum veniissent, miser inedia, frigore, odore exanimatus inuentus est. Vt est hæc natio meritò odiosa Christianis, sic quotidie in eos exempla edi non desiterunt. Quòd tocullio quidam Iudæus pro 20. *solidorum* (vt æstimationis nostræ nomina vsurpemus) vsura plus denarijs in septimanam duobus auferebat, eò tumultum Londinenses excitant, impetuóne in Iudæos facto, quos nanciscì possunt, occidunt: punctóque temporis tantulæ vsuræ causa Iudæi plus 500. vsura lucis ac vita priuantur. Rex Henricus, quem puerum ingressum regnum diximus, quantum ætate, tantum vitijs, atque improbitate processit, eoque magis suorum in se ódia commouebat. Maximè verò quòd despectis ciuibus in honore hospites habebat, infestus fuit. Tandem igitur occultum hoc odium in apertum latrocinium erumpit, rexque cum nobilitate congressus magna contumelia atque incommodo affectus superatur. Illo enim prælio ipse, eius frater Ricardus, ac F. Edoardus, multique homines nobiles, qui ab illa causa steterāt, capti sunt: ac xx. millia militum interfecta. nec antè dimitti rex potuit, quam iureiurando nobilitati fidem fecisset, adolescentemque F. pignoris loco reliquisset, nihil coniuratoribus nocitum iri, atq; acta quædam, quæ ad voluntatem suam effecta à

rege quondam expressérant, iri obseruatum. Quarum rerum memoria nobiles iam tantam sibi arrogantiam, tantosque spiritus sumebant, vt nullo modo post id temporis pacem colere, aut æquo inuicem iure viuere possent. Itaque de loco & principatu inter se summis vsque simultatibus contendebant, quoad in duas factiones diuisi, ac re ad arma deducta, omnes ferè vi Martis perculsi perierunt, liteſque, quas diu aluissent, morte tandem sedarunt. Henricus postquam hæc gesta sset, atque frustrà sæpè amissas à patre in Gallia possessiones recuperare tentasset, regnasset autem 56. annos, & mensem vnum, obijt mortem, imperiumque ad Edoardum filium pertenit.

EDOARDVS I.

HIc ferè initio regni Scotis (qui in fide Anglorum antiquitus fuerant, iamq; desciuerant) bellum intulit, atque in eorum finibus magna cum gloria & felicitate dimicauit. Illo enim bello victi Scoti 40000. capitum amiserunt, ac tria firmissima oppida Dunbarum, Beruicum, Edinburgumque perdiderunt. His gestis, rex eorum Ioannes Baliolus, qui antè more clientium in regis nostri verba iurasset, ad Edoardum, omnibus ornamentis regijs exutus, ac præ se caduceum ferens venit, fortunam suam miseratus regnum deposuit, publiciſque factis tabulis se in perpe-

tuam

tuam Anglorum regibus clientelam dicauit. Atque hunc deinceps reliqua secuta nobilitas fidem ac iusiurandum Edoardo, Concilio totius Scotiæ Beruici indicto, dedit. Quibus rebus confectis rex domum redijt, Hugonemque Gressingameū Scotiæ præfecit. Post discessum exercitus, Scoti coniuratione facta Præfectum occidunt, præsidia expellunt, negotiatores intercipiunt, bona eorum diripiunt, ac multa nobis imprudentibus incommoda inferunt. Qua re audita rex exercitum citò colligit, atq; in Scotos rursus ducit. Quid multa? cōmissō in Scotia prælio, clarissima integerrimaque victoria potitus est. octonis enim denis suorum omnino desideratis (incredibile videri potest) 32. hostium millia occidēre. His duobus aduersissimis prælijs fracti Scoti, atque ab Edoardo ter tribus ex eo tempore profectionibus in eorum fines exercitu introducto deuicti, ac iureiurando quoque tempore constricti, nihilominus tamen motus facere, & contra rempublicam coniurare perseuerant. Quibus rebus permotus rex, atque infirmitatem gentis, (quæ neque iureiurando teneri, neq; incommodis, vt officium faceret, admoneri potuisset) admiratus, aliam sibi rationem ineundam putauit, qua ratione & exercitus sumptibus, si toties cum leuitate hominū bellare cogeretur, & seditiosorum opportunitatib. occurrere posset. Relictis ijs, qui domesticis rebus præsiderent, ipse aliquandiu co-

coram in Scotis cum exercitu commorari statuit. Verum id hominis confiderati prudens consilium, interpellante fortuna, exitum non habuit,&, cum primum ferè in Scotiam venit,mors occupauit. Quid igitur? Nimirum vir summus, qui viuus semper reipublicæ profuisset, ne mortuus quidem deesse voluit. Cùm extremum vitæ tempus appeteret, Scotorumque hominum mobilitatem meritò suspectam haberet, nihil eos se mortuo pro sano facturos arbitratus, nobilitatem (quorum magnum numerum circum se habebat) adhubet,rem plurib⁹ verbis (quam ego nunc breuiter perstringam) edocet: Vnos compedes Scotis,quo minùs se contra rem publicam commoueant,suum esse aspectum injciendum demonstrat. Hæc cùm dixisset,ac deficiente spiritu mors iam vrgeret,nobiliumq; esset gemitus insecutus, Magno este animo,inquit, quanquam enim è medio ipse sim abiturus, habeo tamen qui Scotis semper in medio esse, ac coràm perpetuò adesse videar. simul magna voce,Camem hanc, inquit, decoquite,atque in Anglia sepelite: ossa verò seruate,&, quoties se seditiosa illa gẽs mouerit,contrà serte. horum aspectum Scotos pertenitos spondeo ferre non posse, ac se protinus in fugam daturos. His dictis, mors continuò opprimit.. Regnauit 34. annos,7.& eo amplius menses.

EDOAR.

EDOARDVS II.

EDoardus F. ſucceſsit. Suſtepto regno, ecce tibi repentè plebeius quidam coriarij F. exiſtit, qui ſe regis nuper mortui filium profitetur, paruulum è cunis perfidia nutricis ſurreptum: Edoardū autem ſuppoſititium eſſe, piſtoriſque filium palam confirmat. At manus citò magiſtratus inijciunt, nouitiuſque rex in crucem actus meritas impudentiæ ac ſceleris pœnas perſoluit. Cùm primùm in regnum Edoardus ingreſſus eſſet, Gaueſtonum hominem improbum & impurum veterem ſuum colluſorem atq; gregalem arceſsiuit, ampliſsimisque honoribus affecit. Quem, quòd tantum in rep. homo nequam pollebat, regemque corrumpebat, & verita, & non ferens nobilitas in exiliū bis miſit: eundemque iterum reducem, etiam à rege ipſo reuocatū, apprehendi, ac ſecuri ferirī iuſsit. Quod ad tempus Bruſius, qui ab Edoardo patre victus in Galliam profugerat, mari tranſmiſſo in Scotiam reuenit, regnumque occupauit. A quo Angli, cùm vi illum expellere, prouinciamque recuperare contenderent, magnum detrimentum pulſi receperunt. Prælio enim facto decem, vel (vt ſe Scotorum hiſtoriæ habent) 50. M. militum, magnaq; pars nobilitatis amiſſa eſt: oppidumque egregiè natura & opere munitum (quod vnum ferè Scotorum incurſionibus obſtaculum habemus oppoſitum) in eorum

rursus potestatem Beruicum redijt. Hoc bello confecto, Angli iam & dolore ex accepto incõmodo, atq; infamiæ sarciendæ studio ardebant, nouos delectus instituere, id quod deperierat implere, redintegrare deminutas copias, ac bellum vndiq; parare nitebãtur: in summa, omnium animis atq; opib. in hoc certamen incumbitur. Cùm se repentè Pontif. Max. Clemens V. cuius in fide tunc Insula fuit, interponit, Legatosq; in Angliam, qui pacem inter has gentes atq; amicitiam concilient, duos Cardinales mittit. Horũ igitur interuentu negotium in præsentia cõsistit: verùm id quod legatis, dum paci cõsulebant, acciderat, silentio prętereundũ omninò nõ videtur. Dum iter in Scotiam legati per Septentrionales Angliæ partes habebant, factũ est vt in 600. nulla fugæ facultate data, latrones incidereẽt, atq; ab ijs, obiecta nulla religione, discussi diriperẽtur. Cuius rei indignitate permotus rex, sceleris duces summa diligentia cõquiri, atq; ad se adduci iubet. Hi duo Equites inuenti erãt, quos causa cognita perduellionis pœna secuta est: legatis autem duplum damni, æstimatione facta, redditum. Debinc Spencerorũ patris filijq; noua & repente collecta auctoritas, qua ad libidinẽ & crudelitatem abutebantur, plurimùm pacem atque ocium Angliæ perturbauit. Hi semel in exilium à nobilitate pulsi, iterum à rege reuocantur, omniumq; temporum gratiam & potentiam antecedunt. qua freti magnas tragœdias

gœdias excitant, in vincla cõijciũt, diuitum fortunas & possessiones inuolant, veteres hostilem in modum inimicitias ad mortem persequuntur. Quorum opes atque immanitatem etiam regina regis Gallorum filia Isabella formidans, arrepto secum filio fugam cepit, seque in Galliam ad Carolum fratrem transtulit. Hac illata libertatis spe atque occasione, nobilitas cõiurare, se non solùm seruitutis iugo, quo iampridem oppressa tenebatur, leuare, sed etiam de rege cæterisque furijs, quibus hominum vitæ quæstui delitijsque fuerant, summa vi vindicare contendit. Itaque Isabellam crebris literis nuntijsque arcessunt, rogant & monent, vt quamprimũ eo quo possit comitatu transmittat, nec de copijs laboret: nullas opes atque auxilia, quamprimũ in insulam pedem posuisset, defore demonstrat. Quid verbis opus est? Suorum oratione & pollicitationibus confirmata regina, idoneam nacta tempestatem transit, secundissimamq; Anglorum in se voluntatem offendit. Eius enim aduentu cognito, continuò se omnis penè nobilitas aggregabat, complurimi omnium ætatum atque ordinum confluebant, magnæque paucis diebus equitatus peditatusque copiæ coactæ sunt. Omnibus rebus, quæ ad bellũ vsui sunt, comparatis regina proficiscitur, atq; ad regẽ, qui Lõdini consederat, magnis itinerib. confectis cõtendit. Ille ciuium animis diffisus, fuga parata Lõdino excedit, ac se ad Ouallos, qui suis rebus

fauere videbantur, furtim confert: vrbi Stapeltonum Exonienſem epiſcopum atque Angliæ præfectum ærarium præficit. Hic quòd à regina pridem, cuius in Gallia conſilarius & conſcius fuerat, ad regem perfugiſſet, vt cæteris ciuibus parum acceptus, ſic Londinenſibus odioſus fuit. accedebat huc, quòd iam in poſcendis vrbis clauibus ciues ſeuerius & contumelioſiùs appellaſſet. Quibus rebus incitati Londinenſes antiſtitem compiunt, & ſine mora ſecuri percutiunt. Interea regina Spenceros, reliquaſque illarum partium peſtes perſecuta capit: regem, quem nefas violare fuit, in cuſtodiam tradit: cæteros morte more maiorum afficit. Qua in cuſtodia rex moritur, poſtquam regnum in Anglis 9. annos & pluſculum 6. menſes obtinuiſſet. De cuius interitu, quoniam non vulgaris fuit, iniiciam breui. Ad eum nocte ingreſſi percuſſores in ſomnis opprimunt, viſque pondorum in ventrem pronum detinent: tum, (inhorreſcit animus dicere) in anum impoſito cornu, ne vulnus extet, candenti veru traijciunt, ac per cruciatum interficiunt.

EDOARDVS III.

QVo ſublato, regnum Edoardus F. impuber adijt. Hic, ita vt fit, prauo per cauſam ætatis cõſilio deductus turpiſsimè ineunte regno lapſus eſt: fœdiſsima cum Scotis fœdera percuſsit, ſororem ſuam Dauido Bruſio, Ioannis, quem

ante

antè dixi, filio collocauit, omnes tabulas & perſcriptiones, quibus in perpetua fide & clientela noſtra tenebantur, reddidit atque antiquauit. Hæc omnia imprudens matris Mortimerijque perſuaſu & inductu fecit. Verùm cùm primùm ex pueris exceſsit, remque certo iudicio ponderare cœpit, erratum recognouit, facti pœnituit, omninoque grauiter ſe in ætatula ſua non modò ab hoſte circumuentum, ſed etiam à ſuis circumſcriptum tulit. Vehementer igitur commotus rex eò ſe totum animo conuertit, quo pacto & conceptum ineunte ætate dedecus eluere, & ſuos impulſores, circumſcriptoreſque hoſtes ulciſci poſſit. Quamobrem è veſtigio, matre in cuſtodiam dedita, cauſam Mortimerius maieſtatis dixit, eoque damnatus crimine pœnas pependit: & Scoticum ſimul bellum apparatur. Ne multa, tantus inceſsit Anglis ex veteri illo Bruſiano incommodo dolor, tantumque ſtudium recentis ſanãdæ infamiæ, vt, omnibus celeriter paratis rebus, ſtatim ad hoſtem citiuſque omnium opinione fuerint, commiſſoque prælio, nullo negotio & periculo ſuorum, max. cum ſtrage Scotorum, detrimentum illud quamprimum in bonum verterint, omneſque maculas ſuperiore tempore ſuſceptas delerint. Inito enim numero cõpertum eſt, quinis denis tantùm (per mihi mirum videtur) deſideratis Anglis, 32. Scotorum millia periſſe, magna etiam parte amiſſa nobilitatis. exin Berwicum, Edin-

burgum

burgumque, cum multis alijs firmissimis oppidis castellisque, recepta sunt. Ex illo tamen prælio rex eorum Dauidus Brussius elapsus est, atque in Galliam profugit. Deuictis hostibus ac recepta prouincia rex exercitum deduxit, atque in Angliam redijt, Edoardum Baliolum, Ioannis Balioli, cuius suprà meminimus, fratrem Scotiæ præposuit, regemque appellauit. His calamitatibus perculsi Scoti, nihilo tamen secius coniurare, consilia publicè communicare, & consuetudine sua motus facere: ac, vt præcidam multa, quamuis ter quatuor annorum spatio exercitum in Scotiam duxerit, motus omnes sedarit, totamq; prouinciam quoque tempore in sua verba iusiurandum adegerit, rex tamen fidelem, sanum, pacatumque eum populum habere nequiuerat. Cuius rei duplex afferri causa potest: & leuitas gentis, quæ ad bellum mobiliter celeriterque excitatur: &, cùm religione homines seditiosi soluantur, iurisiurandi papalis remissio. Dum hæc in Scotia geruntur, intercessit inter nos & Gallos post mortem Caroli fratris Isabellæ (quæ regis nostri mater fuerat) de regno Galliæ controuersia. Philippus Valesius Caroli nepos nulla interposita dubitatione regnum occupat: cùm negaret moris esse Gallorum fœminas regnum obtinere, aut vllo modo viris imperare. Contrà Edoardus armis experiri parat, exercitum scribit, equites imperat, frumentum conferri & supportari iubet, quantum

quantum nauium facultatem habet adornat, immanem denique, qua belli sumptus tolerentur, ex toto regno pecuniam cogit. Cuius pecuniæ causa, & ob vberrimum eo anno cibariorum prouentum tanta annonæ vilitas extitit, vt Londini triticum in singulos modios trinis denarijs, bos opimus 6. solidis & denarijs 8. vulgò veniret: & pro rata portione reliqua. Contracta classe nauium circiter ducentarum, impositisque militibus, rex nactus tempestatem soluit, atque ad portum Clusas, vbi Gallorum naues in statione sunt, iter dirigit. Vbi in conspectum naues nostræ venerunt, Galli classem suam è portu educunt, & cum 400. nauium numero nostris aduersi consistunt. Ne diutiùs teneam, prælium committitur, vtrinque diu & fortiter dubia victoria pugnatur, sed ad extremum Galli victi terga vertunt, & tota penè classe deleta, tribusque & triginta millibus propugnatorum occisis, ex tanto numero paucæ admodum naues erant, quæ celeritate & fuga sibi salutem pepererunt. Hoc nauali prælio facto tanta fama percrebuit, tantusque quoquouersus luctus excepit, vt eodem vestigio Gallia omnis capta videretur. Itaque ne hostibus se ex fuga & pauore colligendi tẽpus daretur, rex victos & fugientes insequitur, exponit exercitum, oppida quædã ex itinere, ne hostem post tergum relinquat, oppugnat & potitur. Verùm paucis rebus in terra feliciter gestis, dum Ba-

ganum

ganum(quod nunc Tornacum dicunt)in obsidione tenet,subitò domestica vrgent negotia:idque vnum Edoardo ad eius pristinam fortunã defuit, quod propriam atque expeditam interpellabat victoriam, quòd hostes iam persequi non potuit.Nũc enim Scoti, quorum mentes nondum à superioribus bellis resederant, arrepta occasione concitantur,cædes Anglorum faciunt,præfidia deijciunt, &(quòd Angliæ robur viresque abesse putabant)de summa rerum nobiscum summis copijs contendere conantur. Edoardus igitur (ne dum aliena regna petat suum amittat) necessariò reuocatus vnius anni inducias cum Gallo pactus est,omnemq; rationem belli ad Scotos conuertit. Sed eadem aduersa fortuna,quæ regem è Gallia reduxit, eundem etiam in Scotiam persecuta est. Cùm enim in locis ieiunis atque asperis diutiùs esset pro rarione belli moratus, atque ex re frumentaria & commeatu duris subuectionibus laboraret,hostes autem locis opportunis captis rem de industria ducere contenderent,pace cum Scotis facta,re infecta redire coactus est. Hoc interim spatio Gulielmus Montacuti Sarisburij Comes insulam eam,quæ sub meridie posita breuissimo ab Anglis trãsmissu distat,Monaque vocatur,Scotis,quorum sub ditione fuit,expulsis,cepit,atque Anglorum imperio subiecit.Cui rex insulã ipsam mercedis & præmij nomine remisit,ac diadema gestare, regemq; Monæ appellari iussit.

Quod

Quod etiam ad tẽpus Arthurianæ rotundæ mensæ exemplo (quem Arthurus honorem viris in bello fortibus communicabat) Edoardus ordinem Fasciæ eadem ratione, magnaque cæremonia instituit. Rebus domesticis confirmatis rex Gallos iterum bello persequitur, ac primum Darbiensem Comitem in Galliam cum copijs misit. qui multis eorum oppidis expugnatis, memorabilem ibi vnam commisit pugnam, ac, manu militum non amplius mille, Gallorum 10. millia fudit & occidit, eorum duce multisque nobilibus captis. Pòst exercitum ipse transmisit, eorumque agros, vicos, vrbes ad Lutetiam Parisiorum vsque vastauit. Rex Galliæ huius aduentu cognito introrsus refugit, maximisque ex toto regno coactis copijs, Anglis obsistere parauit. Verùm cognita per exploratores paucitate nostrorum, Galli propius castra mouent, atque vtrò ad eos oppugnandos veniunt. Ea re perspecta, Edoardus tamen cedendum non existimauit, neque, quamuis cæteris partibus inferior numero militum esset, sagittarum præsidio fretus (qua ratione pugnæ id temporis Angli insistebant maximè) rem prælio committere dubitauit. Qua spe vir summus lapsus non est, ac sagittariorum eximia virtute & præsidio clarissima victoria potitus est. Illo enim prælio rex Boëmiæ, alijque 10. principes, ac tota penè Galliæ nobilitas victa cecidit: præter accessionem xxx. M. militum, qui tum etiam

iam peribant, ac signorum militarium so-
quæ eodem tempore capta in nostrorum
manus peruenerunt. Hoc bello facto, Edo-
ardus oppidum Gallorum egregiè natura
& manu munitum Iccium, quòd oppor-
tunissimum id Anglorum rationibus vide-
batur, oppugnare instituit. Quid multa?
oppido rex vndenorum denique mensium
graui diutinaque obsidione potitur, fir-
moque relicto præsidio domum reuertit.
Vt toto huius regis imperio valde tume-
bant negotia, sic hac maximè tempestate
Angli in omnium concursum occupatio-
num deuenerant. Eodē enim tempore quo
hæc in Gallia geruntur, Scoti omni fide &
fœdere læso ad veterem fabulam redeunt:
leuitate animi, etiam Gallorum sollicita-
tionibus inducti rebellionem faciunt, in
Anglorum fines irrumpunt, eosque popu-
lari omnibus copijs incipiunt. Qua noua
re oblata, regina minimè sibi consilia au-
xiliaue regis expectāda putat, sed negotio
sua sponte suscepto milites imperat, homi-
nes vndique fortissimos nominatim euo-
cat, ac delectum vniuscuiusque ordinis, qui
modò militiæ munus sustinere possent,
(ne sacerdotibus quidem vacatione data)
acerrimum habet.

His rebus celeriter pro re gestis, atque
exercitu satis firmo coacto contra hostes
proficiscuntur Angli, ijsque non ita longè
progressis occurrunt Duni. Cōmisso præ-
lio, vt breue faciam, Angli rem obtinent,
Scotique victi cedere, ac magno accepto
incom-

incommodo, rege eorum multiſque nobilibus captis, turpiter ſe ex fuga recipere coguntur. Paucis annis interiectis Galli, quorum mentes alieniſsimi ſemper fuerãt, quamprimum ſe ex ſuperioribus illis calamitatibus colligere poterant, inſidiari mercatoribus, eoſque exceptos prædæ habere & ſpoliare, ac mare vndique infeſtum habere cœperunt. Quibus rebus impulſus Edoardus, remiges militeſque nauticarum rerum ſcientia præſtantiſsimos inſtituit, claſſem expedit, mare purgare, atque vlciſci Gallos apparat. Rebus omnibus prouiſis, vt primùm ſoluiſſet, ac ſe vento dediſſet, in eas partes verſus, vbi Gallicæ naues conſederant, fertur, hoſteſque citò ſecur do vento incitatus conſequitur. Commiſſo prælio partem nauium depreſsit, partem captam abduxit, reliquæ, conuerſis quò ventus ferebat velis, in fuga ſibi ſubſidium poſuerunt. quo in prælio cum cæteris Gallicæ claſsis præfectus Carolus (is qui toti maritimo officio præpoſitus ipſorum lingua Conеſtablius dicitur) captus in noſtrorum poteſtatem venit. Deinde, cùm nouæ quotidie Galli molirentur, exercitum non ita multo pòſt regius filius princeps Niger Edoardus traduxit, agros eorum ſpoliauit, plurima oppida cepit, ipſumque Galliæ regem prælio vicit ac ſuperauit. Quo prælio ſummam laudem dux exercituſque merebant. Anglis enim non amplius 8. millibus maximus Gallorum exercitus (60. M. numerum habuiſſe conſtabat) minimè par

par esse poterat, rex ipse, filiusque, ac multi nobiles capti: ad summam, bis tantus captiuorum, quantus erat nostrorum numerus, censu habito repertus est. Hoc igitur tempore duo simul apud nos captiui, Galliæ Scotiæque reges tenentur. quibus paulo pòst redemptis, pro libertate Scotus centum M. marcarum, (vsu enim terenda sunt hæc nomina) Galliæ verò rex quinquies centena M. librarum, magnamque Galliæ partem persoluebat. His rebus pulcherrimè in bello gestis, Edoardus ingrauescente iam ætate se quieti dédere, otiqúe cápere portũ cupiebat. auebat enim vir summus, deposita tandem bellatoris persona, pacificam induere, eamque virtutem & operam, quam in militia sæpe & castris præstitisset, pari etiam ratione in foro otioque nauare. In multis vnum, quod ad hunc finem spectat, singulare tangam. Cùm ad hoc tempus in Anglia ius Gallicè diceretur (qua lingua à Victore inducta, multa iam longinqua consuetudine vtebamur) atque ciuium aliena lingua controuersias minuere incõmodum videretur, rex hanc totam rationem immutandam censuit. Itaq; S.C. cautum esse voluit, vt veteri formula deleta, in omne posterum tempus iurisconsultorum perscriptiones Latinè fierent, actiones autem vernacula atque Anglicana lingua haberentur. Iam igitur res bellicas ferè regis filius Niger princeps procurabat. Hic precibus & sollicitationibus Hispanorum captus manum militum in Hispa-

niam

niam traduxit, Henricum ſpurium, qui regnum vſurpabat, demouit, legitimumque hæredem Petrum reſtituit. quod cùm feciſſet, tamen pactum ab ijs ſtipendium ferre non potuit. Quamobrem iratus ſe domum recepit, atque ex itinere Aquitanis vectigalibus ſuis pecuniam in ſtipendium militum imperauit. Illi obſtinatè negare, atque in eam rem regis Gallorum fidem implorare. Cauſam Gallus ſuſcipit, principem contra fœdus éuocat, ac ſibi de controuerſijs ſtatuere ſumit. Ex qua re cùm acerbiſsimũ poſtea bellum cõflatum eſſet, tunc oſtendit fortuna quam leuis & incõſtans, & maximè in bello ſit. quæ enim Edoardo in omnibus rebus, quas facere deſtinauerat, ſecundiſsima ſemper fuit, eadem iam in exitu vitæ & regni ſe inclinare, regemque deſerere cæpit. In omni ſumma, indicto bello, multiſque prælijs in Gallia factis, malè à nobis quotidiè pugnatur, multi viri fortes óccidunt, complura detrimenta capiuntur, denique pars magna agrorum, quos vi ac virtute peperimus, amiſſa in Gallorum rurſus poteſtatem redijt. Quod aduerſum tempus etſi antè partam Anglorum gloriam nullo modo obſcurare poterat, multo tamen eos humiliores infirmioreſque redegerat. Edoardus, poſtquàm 50. annos, & 4. menſes regnauiſſet, è vita profectus eſt: ac Ricardus Nigri filius (Princeps enim patris ſuperſtes non erat) & patri & auo longè dignitate inferior ſucceſſit.

Is

RICARDVS II.

IN principio, quòd ciues suos premebat, miseroſq; & egentes vehemẽtius, quam ferre poterant, vrgebat, maximi in regno tumultus & motus causã attulit. Plebs enim duob. infima fortuna Tilero Strauoque ducibus concitata, omnia miscebat. Hi 60000. perditorum atque egentium coacta manu Londinum aduolant, vrbem diripiunt, nobilium domos subruunt, cædes faciunt, nec aliquis modus & ratio, quæ tantum incendium restingueret, reperiri posse videbatur. Atque ecce tibi repentè is, qui summo magistratu præerat (quem Maiorem appellant) paricidarum petulantia commotus audatiam adhibet, ac vnius suæ vitæ periculo se summam rẽ redempturum sperat. Quid quæris? data facultate alterum ducem Strauum pugione petit, atque interficit, seque & rempublicam conseruauit. Plebs enim insana iam rei nouitate perterrita, cùm nullus hostis immineret, tumultuari & concursare, in omnes partes fugam petere, domumque suam quisque diuersi ac dissipati contendere cœperunt. Eoque modo maximus ac periculosissimus motus singulari prætoris consilio ac virtute, nullo magno malo compressus est.

Eodem anno quo bellica illa tormenta (quæ ob similitudinem sonitus bombardæ iam dici sunt cœptæ) ab nescio quo machinata Germano in vsum hominum venie-

bant;

niebant, maximas per orbem terrarũ motus terræ contigit. Qui, vt taceam cæterarum gentium incommoda, Anglis præcipue ac vehementer detrimentosus fuit. præter magnum enim numerum hominum pecorumq; necatum, plurima castella euertit, templa deiecit, domicilia diruit, plantas atque arbores passim prostrauit: neque ex omnibus, qui in hac insula crebri fuerant, quisquam huic vnquàm legitur motus comparandus. Rex pacato superiore tumultu, nihil de pristina consuetudine remittit, tenuiores etiam eo magis opprimit. Iterum igitur populus incitatus in regios quosdam, quorum id opera fieri putabatur, consiliarios & magistratus impetum fecit, ijsque incognita causa mortem obtulit. Denique cùm omnia ad libidinem Ricardus ageret, nec rempublicam omninò respiceret, cùm, inquam nullum iniurijs finem atque exactionibus faceret, regno ad extremum deiectus (cùm 22, annos, & 3, menses regnasset) fine imperio facere coactus est. Ad quam rem confitiendam magnum in cæteris hæc quoque causa momentum attulit, Herefordiæ Norfolchiæque Ducum iudicium. Hic, cùm verba atque orationem contra regem habuisse ab Herefordiensi postulatus esset, omnemque iuris disceptationem, inficiatio criminis sustulisset, singulari inter se prælio controuersiam decernere constituunt. Dictus igitur est dies, quo die publicè pugna committeretur, ad

diem vterque & animis & armis parati cõueniunt, multitudo hominũ circumfluit, summa fit omnium ordinum expectatio: cùm subitò res edicto regio dirimitur, ac se eorum controuersias dijudicaturum dicit. Quid multa? sententia lata est, Vt cùm vtrique aqua & igni interdictum esset, Dux delator decennali exilio, perpetuo reus mulctaretur. Qua iniuria permotus Herefordiensis exilij dedecus & dolorem non ferre, consiliumq; inire cœpit, quo non solùm patriam recuperare, sed regnum etiam expulso Ricardo sibi conciliare posset. In summa, huius consilij ratio fuit, Si quo modo ad Hibernicũ, quod tum vrgebat, bellum elici rex foras posset, facilis sibi per suos & in patriam reditus, & ad regnum aditus esset. Ad has res perficiendas archipræsulis Cantuariensis præcipua opera atque amicitia vtebatur. Rege igitur in Hiberniam pertracto, atq; belli negotijs distento Dux transit, & suorum opibus fretus facile regnum occupat. Fuit enim vt rex odiosus, sic Dux peracceptus plebi.

Henricvs III I.

Henricus Herefordiæ Dux, quam primùm in regno fuit, de multis nobilibus, qui malè rempublicam gessissent, supplicium sumpsit. Ricardus iam hoc motu audito ex Hibernia redit, atque in arcem Flintum confugit. Eò igitur celeriter

leriter contendit Henricus, expugnataque arce Ricardum deprendit, atque in Turrim ducit. Captiuus hunc casum quieto atque æquo animo fert, regnique iure Henrico mox remisso, habito pòst paulo Concilio se meritò priuatum tassus est. Henricus hoc modo, quem dixi, regnum consecutus necessariam multorum inuidiam atque odium subibat, necnon ob eã causam eius vitæ salus sæpe fuit infestior. Quo nomine multi coniuratores homines nobiles, qui pœnàs sui doloris ab rege petebant, pœnas ipsi infidelitatis latrocinijque persoluerant. His supplicio affectis, rex, cùm ne nunc quidem suam præstari incolumitatem, aut periculum repelli animaduerteret, aliam ineundam rationẽ, atque ad fontem horum malorum respiciendum putauit. Nihil aliud, quàm quòd Richardi, quem in custodia teneri diximus, vita & seditiosis spem, atque audacib. occasionẽ rerum nouarum præbeat, esse causæ reperit. Omnib. igitur cosilijs antevertendum existimauit, vt ad castellum Ponti tractum, quò erat à Turri traductus, clam percussores summitteret, captiuumque statim interfici iuberet. Quid quæris? negotium homines octo desperati, regijs excitati præmijs, suscipiunt, Richardoque id, quod ei vnum restabat, vitam eripiunt. Huius tamen, morti priusquam occubuerit, eximia ac singularis virtus vtique prætereunda non est. Cum enim ad se infestis animus & armis veniri videret, atque iner-

mis & solus esset ab omni relo subsidioq; destitutus, ea præsentia animi ac fortitudine fuit, vt securi celeriter ab sicarijs vni detracto, eo se diu defenderit, atque ex ijs 4. interfecerit. Tandem vulneribus ac lassitudine confectum, vt iam se sustinere non posset, Richardum relinquit animus, latronesque qui supererant diffugiunt, atq; exoptatum ad Henricum nuncium afferunt. De qua cæde etsi fama iam in omnes partes dissipata percrebuit, tamen, quo maior plebi fides fieret, rex imponi mortuum supinum equo, Londinumque aperto capite trajici, ibiq; ad Paulli priusquã ei funus fieret, per 3. continuos dies, vt satis sibi quisque faceret, exponi iubet. Hoc extincto, spes tamen Henricum fefellit, neque sic, vt ipsi videbatur, expiato periculo, iam contra salutem eius desitum est coniurari. Omnium enim odijs magis magisq; inflammans, tres post id tempus coniurationes eruperunt, pœnasque dederunt. Ac quamuis moribus sit non modò contra salutem aliquid moliri, sed etiam coniuciari, ac quouis modo de principis dignitate detrahere capitale, inuenti sunt tamen qui, cùm linguam reprimere non possent, capite pœnas luerint. Equiti enim cum duobus seruis, Monasteriique præfecto cum 8. Fratribus, quòd regem verbis violassent, damnationi fuit. damnatos pœnam sequi oportebat, vt à cruce semimortui abstraherentur, atque carnificis cultro traderentur. Hoc tempore in

publico

publico concilio de sacerdotium possessionum alienatione postulatum edictum est. Quo in postulato proponitur, Prophanas possessiones, quæ ab ijs qui sacra procurant, iniuria tenentur, neque vili vsui consumuntur, si in communem reipublicæ vsum collatæ essent, Quinos denos Comites, ter mille marcarum singulis annua mercede data, alere posse: Equites verò 1500. sic vt singuli quotannis marcas centum, & 4. arationes auferrent: præterea 6200 Armigeros, quibusq; in singulos annos 40. marcis, binisque arationibus attributis: deinde centum pro egentibus ædes publicas, (quas Græci *Ptochotrophia* dicunt) ita vt singulæ centum marcarum mercedem haberent perpetuum: postremò 20000. librarum superesse, quæ ad regium quotannis fiscum peruenirent. At hic libellus, quòd sine magna rerum perturbatione admitti non posse videbatur, reiectus est. Memoriæ traditum est hoc temporis in flumine Thamesi, quod per Londinentium fines ferri demonstrauimus, ter vno die sæuum ex alto incitatum esse. Henricus postquam 13. annos, & menses regnasset 5. mortuus est, atq; eius filius Henricus omni dignitate princeps excepit.

HENRICVS V.

AD hunc cum vetus illa de sacerdotibus in concilio publico postulatio relata esset, atque in eam partem vt

reciperetur, senatus rexque propenderent, ei rei maturè sacerdotes occurrendum, atq; aliquid sibi quo eorum cogitationes nimium his rebus intentas, auerterent, inueniundum existimarunt. Consilium igitur capiunt versutum & callidum, episcopos homines doctos, qui aliquem sermonis aditum habebant, subijciunt, Qui regnum ad nos Galliæ pertinere, illosque vsurpare regem doceant, hortenturq;, quoniam omni legis actione exclusa vi supprimeretur, vi id atque armis repeteret: inque eam rem pergrandem ipsi summam pecuniæ pollicentur. Quo in consilio nequicquam homines veteratores erant, regem magni animi & bellandi cupidum adolescentem facilè impellunt, atque vt, omnibus rebus posthabitis, hoc quamprimum suscipiat negotium persuadent. Henricus igitur, abiecta illa de sacerdotium rebus cogitatione, totus & mente & animo in hoc bellum insistit, extemplò delectum habet nauium quod vndique est cogit, pecuniam exigit, cæterumque belli apparatum celeriter expedit. Exercitu collecto, nauibusque impositò soluit, cursumq; celeriter & tutò secundo vento proiectus conficit. In terram expositis militibus, oppida quædam oppugnare incipit, Iulio bonamq; capit. Interea Galli cognita per speculatores paucitate nostrorū (non amplius enim 17. millia summa omnium erant, ex eoq; numero multi salo ac naufragio confecti ægriq; deponebantur) max. copijs coactis

ad

ad Henricũ alacres atq; lęti, tanquã qui iam animo victoriam perſpicerent, aduolarũt, eumq; interclu lere reditu, ac circumſiſtere conabantur. Oblata igitur ſpe, nec cõmunem Martem, belliq; caſum extimeſcentes Galli, ruere, omnia raptim ac turbulentè agere, nullaq; certa ratione & conſilio bellũ adminiſtrare cœperunt. Hæc cùm vidiſſet Henricus, eo magis ſibi vigilãdum, muoremq; diligentiam atq; animi fortitudinẽ adhibendam putauit. Quæ res illum diem & noſtris magis illuſtrem, & Gallis longè grauiſsimũ fecit. Hoſtes enim, qui nihil timebant, etſi tantum multitudine poterant (numerum enim ad 40000. habebant) victi atq; in fugam conuerſi dimidiam exercitus partẽ cum tota penè nobilitate amiſerunt, 10000. occiſis, totidẽq; numero captis. Henricus, cùm omnia circumſpiceret, exigua illa, quã dixi, multitudine, ſagittariorum egregia virtute, clariſsimam eſt victoriam conſecutus. Hoc bello confecto, rex, quòd propè iam exacta æſtas erat, neque libenter in Gallia hiemare volebat, domum ſe in Angliam cum maxima præda recepit: ac proxima inita æſtate, cũm primùm anni tempore ad bellum gerendum vocaretur, exercitum in Gallos reduxit. Ne longum ſit, multis ibi prælijs vſus ſecundis, & grauiſsimis Gallis illatis detrimentis, omnem Normaniam recuperauit. Quibus continuis incommodis ita ſunt animo conſternati Galli, vt ad quiduis depaciſci. & ad quaſcunque ab

Henrico latas conditiones descēdere, fœduſque facere contenti fuerint, Vt Henricus Galliæ Præfectus (quem illi Regentem nominant) Carolo viuo renunciaretur, & poſt eius mortem in plenam regni hæreditatem iret: idque fœdus, quo firmius eſſet, Catharinæ regis filiæ nuptijs ictum ſanciretur. His rebus completis, rex (cùm imperium in Anglis 9. omnino annis, & ſenis vix menſibus obtinuiſſet) immaturam in Gallia mortem oppetit, atque eius filius Henricus, ex Catharina ſuſceptus, non 8. menſium maior ſuccedit.

HENRICVS VI.

CVius per ætatem regnum duorum eius patruorum procurationi commiſſum eſt. Quorum alter Humfredus Claudianus Dux, qui Angliam procurabat: alter Ioannes Bedfordienſis Dux, qui tum etiam mortuo Carolo regnum, in paruuli regis vſum, adijt, ac Præfectus Galliæ pronunciatus eſt. His conſtitutis, Præfectus ſine mora Delphinum (qui ſæpe per hanc pacem impediebat, Ducemque Clarentiæ fratrem eius interfecerat) bello perſequitur, eumq; prælio congreſſum ſuperauit, multis nobilibus & quinquies millibus militum occiſis. Eadem etiam celeritate & felicitate vſus complurima oppida munitiſs. cepit, atque Anglorum ditioni ſubiecit. Et, ne multa, paruo ſpatio inter-

intermiſſo, cum Duce Alenconij rem geſſit, atque obtinuit. quo in prælio ferè 10. M. Gallorum interfecta, ac Dux ipſe, multiq́ue homines nobiles & honeſto loco nati capti ſunt. Idem temporis, quo cum Gallis Præfectus decernebat, Gallica quæda mulier, Ioanna Francię vulgò vocata, in hoſtium caſtris verſabatur, & cum Delphino paſsim indutu virili perequitabat. Hæc, cùm Anglis ſæpè veneficijs ſuis nocuiſſet, ab ijs tandem capta meritas igne pœnas dedit. Henricus puer, cùm octo haberet annos, rex Angliæ diademate affectus declaratur: ac triennio pòſt Galliæ regnum et Pariſijs eadem cæremonia ritu q́ue defertur. Quibus rebus geſtis, Galli iamdudum pertæſi ſeruitutis, ſimùl occaſione regiæ pueritiæ ætatis data, omni fide ac fœdere violato deſciſcere, cædes Anglorum, qui in Gallia negotiandi aut itineris cauſa manebant, indigniſsimè facere, oppida obſidere, præſidia deijcere, maritimos curſus tenere, atque vndiq; inferre bellum incipiunt. Omnino, inter Anglos & Gallos, dum hi libertatem vindicare nos id quod bello victimus vi retinere cõtendimus, acria paucis annis ac continentia prælia intercedunt. Quæ in contentione belli Galli quotidie ſuperiores ſunt, atque exercitibus noſtris partim confectis, partim expulſis, omnes in Gallia poſſeſsiones, quas multo ſudore & ſanguine cepimus, in hoſtium rurſus poteſtatem redactæ ad nihilum veniebant. Dum hæc

in Gallia geruntur, Humfredus (quem Anglię Procuratorem diximus, quemq; populus percharum habuit) subitò in Burienſi cœnobio ſtrangulatur: opinioq; erat edita in vulgus opera & conſilio Marchionis Suffolchiæ cædem factam. Hic igitur, vt populi voces ac rumores extingueret, eo crimine damnatus, atque in quinquennale exilium eiectus eſt. Verùm ne hic quidem homini miſero vitam ducere licuit, atque in nauis conſtratæ inſidias ex itinere incidens, exilium morte commutauit. Illi enim conſpicato Marchione ſeſe in eum celeriter incitant, expugnataque nauicula exulem capiunt & interimunt, cadaueréque in littus Cantianum ad Dorim argumenti loco proijciunt. Per ea tempora, quòd humiliores, vt ferè fit, à potentioribus premebantur, magnus Cantianorum motus, duce Cado homine de plebe, factus eſt. Quos contra miſſus Staffordienſis Comes calamitatem pulſus accepit. Populus ea victoria, odioque potentium elatus ad vrbem apprope rat, permultos homines nobiles opprimit, cædes facit, expilat ædes, atque onuſti pręda in ſedes ſuas quiſque remigrant. De his iam diſperſis (quibus coactis reſiſti nõ potuit) facilè ſupplicium ſumitur, atq; eorum principes comprehenſi carnificinam eam, de qua ſuprà dictum eſt, ſubeunt. Tãdem ad Ducem Eboracenſem veniamus. Hic cum regina Siciliæ regis filia graues diu inimicitias geſsit: eiuſque quotidie poten-

potentia, vt neceſſe fuit, oppreſſus & circumuentus ad extremum non tulit, multiſque ſibi nobilibus aſcitis ſocijs, ſe manu defendere, dignitatemq; ſuam armis vindicare contendit. Quid plura? cum exercitu regio, cui Dux Summerſeti præerat, ad Fanum Albani conflixit, & obtinuit, ipſo duce cum multis ex nobilitate, atque 8. militum millibus interfectis: præter captiuorum magnam multitudinem, in quibus rex ipſe fuit. Hac prælio facto Eboracenſis ad vrbem venit, regem ſumma fide atque honore proſequitur, nihil manu & viribus extorquet, impetrat ab eo per gratiam, vt conuocato Concilio, ſi id ſuffragijs aſſequi poſſet, regni ſe Procuratorem eligi patiatur. Ex quibus rebus regina odio inuidiaque Ducis magis ac magis flagrat, omnes rationes excogitat quibus hanc potentiam frangat, hominemq; inimicum nimium indies creſcentem deprimat. Perficit igitur imprimis à rege, qui nec ipſe ſatis bono animo fuit, Vt Dux illo, quem proximè totius Angliæ conſenſu ceperat, honore ac dignitate ſpolietur. Ille ſe iterum defendere, atque inimicorum contumelias propulſare. Quod ſic fore ſuſpicatus rex maturat, naſcentem coniurationē opprimere; & ſuperiore calamitate admonitus, prius anteuertere, quàm hoſtium copiæ aut conſilia colligantur, contendit. Dux iam ad oppidum Ludloum per cauſſam exercitus colligendi conſederat, atque inde initium belli facere ſtatue-

rat. Eò igitur celeriter conscriptis copijs magno cursu contendit rex, ac subitò castra castris aduersariorum confert. Eboracensis iam adiunctis Iccij præfecti copijs (qui auxilio dudum venerat) se satis firmum ad dimicandum sperans, parare, & rem prælio permittere instituit. At interim, dùm omnium animi ad pugnam intenti sunt, præfectus Iccij (quo præcipuè fretus prælium committi voluit) pridie vesperi quàm acies concurrerent, ad regem cum omnibus copijs transijt, ac Ducis exercitum perturbauit. Hic igitur in præsentia prælio supersedendum neq; reliquum exercitum, iam horum discessu perterritum, obijciendum pugnæ statuit. Itaque dimisso clàm exercitu, ipse in Hiberniam prima luce profugit, reliqui homines nobiles, qui cum illo steterant, alias terras petebant. Hac contumelia accepta, Dux iã animo tamen non deficit, exercitu quàm celerrimè potest reparato reuertitur, indictoq; regi bello turpitudinem delere fugæ quam primùm cogitat. Quid multa? signis cum regijs copijs Northanteni collatis aduersarios fudit, ac rege capto, Duce Buchingamiensi Salopiæq; Comite cum maguo numero militum occiso, amissam facilè existimationem reconciliauit. Neq; hac tamen victoria crudeliter Dux vsus est, tantumq; effecit, indicto rursus totius Angliæ concilio, vt proximus ipse regni hæres, reginæ filio præterrito, è nobilitatis populiq; consensu diceretur. His rebus

confe-

confectis, regina & veteri odio deducta, & recenti contumelia, filij repulsa, permota virilem sibi animum ac personam suscipit, fuga se in septentrionales regiones, quę eius rebus fauere & cupere videbantur, recipit, homines partim imperio, partim pollicitationibus & præmijs excitat, bellumque ipsa summo studio animoq; administrare instituit. Satis firmâ coacta horum hominum manu (qui mulieris imperium secuti, nulla Concilij habita ratione, omnib. copijs subleuabant, causamq; hãc acerrime enixeque susceperant) reuertit regina, & contra Ducem, qui exercitum tum tenebat, summo studio cursuque incitata contendit. Eboracensis, qui bis contra viros fortissimos victor fuisset, iam mulierẽ contemnebat, ac perpetua fretus felicitate eam nullo negotio retardari posse confidebat. Reginæ igitur copijs non longè ab Eboraco occurrit, & cum hominibus asperis & montanis minore numero militum congressus, exercitu fuso victus atq; interfectus est. Eoque prælio huius filius Rotelandiæ Comes, aliiq; multi homines nobiles & honesti perierunt. Ita fortuna fortissimum & clarissimum virum in hoc muliebri certamine & contentione versauit. Regina iam Duce victo, quòd alias aduersariorum superesse copias audierat, non cunctatur, dùm huius victorię recens fama est, cum ijs quoque confligere statuit. Itaque castra mouet, iter die & nocte continuat, atq; celerius omnium opinio-

ne ad hostes peruenit. Hæ copiæ ad Fanum Albani confederant, imperijque summam Dux Norfolchiæ Comesque Ouarouicensis ab Eboracensis causa tenebant. Ibi igitur cum aduersarijs iterum depugnans mulier iterum superior fuit. His duobus bellis confectis, cùm res iam esse in tuto videretur, subitò alter Eboracensis Ducis filius Comes Merchiæ florens atque illustris adolescens concitatur, magno in Ouallia motu facto miscere, dolorémque suum summa contentione animi persequi conatur. Primo congressu Comitem Penbruchi, qui contra regis missu venerat, magno incommodo illato superauit. Eoque facto prælio Londinum, vbi regem esse existimabat, non intermisso cursu perexit. Quò cùm venisset, de regis discessu (qui illo aduerso prælio audito fugit, atque in septentrionales partes se conferebat) cognouit, eumque sic dimissum doluit. Tamen ne frustra susceptum iter videretur, Senatum conuocat, inimicorum in familiam suam iniurias omni tempore commemorat, ad summam, vt nuper patrem, cùm regni hæres ex Concilij sententia instutus esset, non modò totius Angliæ honore & beneficio, sed etiam vita priuassent: sui præterea, patre sublato, rationem non haberi queritur: perit vt se in suo iure non interpellent: denique exercitus terrore iniecto, eò senatum compulit, vt statim Angliæ rex renunciaretur. Paucis diebus in vrbe consumptis, ne his rebus

tempus

tẽpus extraheret, Comes proficiſcitur, atq; in eas partes, quas regem petiſſe audierat, magnis itineribus confectis contendit. Henricus iam & ex ijs, quos imperio ſuo euocauerat, & voluntariorum ampliſsimas habebat copias, & iuxta Eboracum caſtra fecit, id ſpectans, ſi hoſtes perſequerentur, vt, vbi ſubſidium quàm amiciſsimũ haberet, ibi decertaret. Eò cùm Comes veniſſet, aciem inſtruit, ac pugnandi poteſtatem facit. Quid quæris? Commiſſo prælio, cùm arma homines ciues & conſanguinei ſumma contentione animi conferrent, victoriam magno vtrinq; detrimento cõſtare neceſſe fuit. Triginta igitur millibus ciuium occiſis, in quis complures nobiles erant, Comes ad extremum obtinuit. Rex verò cùm rem eſſe in anguſto vidit, equo citato effugerat, atque in alienas terras, poſtquam 38. annos, & 6. menſes regnaſſet, cum vxore & filio trauolauit.

EDOARDVS IIII.

POſt hanc victoriam Edoardus Ducis Eboraci F. iam omnia tenens Londinum redit, atque in regni moribus plenam poſſeſsionem proficiſcitur. His conſtitutis Henricus, qui illo prælio elapſus Scotiam petebat, collectis exercitus deleti reliquijs, atque Scotorum auxilijs adiutus, in imperij fines eruptionem facit, ſperanſque maiores ſuorum copias ſubſidio conuenturas non timidè rem gerere, atq;

atque audacter progredi conatur. Erat in illis partibus vir singulari virtute & magna auctoritate D. Montacuti, qui extremis contra Scotiam finibus à rege præficiebatur. Is re cognita, celeriter manu militum coacta, itinere Henricum prohibet, & vi perrumpere nitentem magno incommodo accepto repellit, ac, Duce Sũmerseti, Domino Rosso, & D. Hungerfordio captis, ipsum in Scotiam refugere cogit. Hi homines nobiles securi feriuntur, atq; Henricus paruo spatio interposito deprehensus ad Turrim deducitur. Nec tamen hîc belli ciuilis exitus reperiri potuit. Humiliores enim regiæ atque ignobiliores nuptiæ (qui Equitis Grãij clam vxorem duxerit) magnos in Anglia tumultus & seditiones excitarunt. Sic enim cõemptione rei ordo omnis exarserat, vt primùm plebs Lincolnien sis conuentus a D. Oselleſio concitata fureret, atque in ædes D. Riuerij reginæ patris irruperit, vi ipsum atque eius filium extraxerit, atque ad necem contra ius fasque rapuerit. Deinde, cum neque horum supplicio, quod de latronibus grauissimè sumptum fuit, reliqui deterreri potuerint. Dux Clarẽtię regius frater, Comesque Ourouici (qui regi patriúque suus in omnibus bellis socius atque adiutor erat) perduellionis conuicti, atq; hostes patriæ pronunciati ad tempus cesserunt, & continuò reuersi omnia miscuerunt. max. enim & firmiss. muniti copijs Londinum ad regem oppugnantum

atque

atque inimicos accuſatores vleiſcendum properant. Hi contrà copias parare, ac reſiſtere. Quid plura? Cùm non longè altera ab alteris caſtris abeſſent, rex cognitis per exploratores aduerſariorum viribus, prælio diffugere, proiectoque exercitu cum paucis, quibus ſummam rerum omnium fidem habebat, Flandriam petere contendit. duces verò aduerſarij regnum præſidio orbatum inuolant, Henricum 6. qui in cuſtodia nonum iam annum fuerat, educunt, regemq; reſiciunt. Verùm non longo pòſt ſpatio, conciliata inter Edoardum Ducemq; fratrem gratia, ille ſe in patriam refert, ac ſuis fraterniſque opibus nixus Londinum facilè venit, regemque, vt ita dicam, rediuiuum opprimit, atque in carcerem reijcit. His rebus ex tempore geſtis, in Comitem Oxonicenſem, qui decem millium interuallo cum copijs aberat, proficiſcitur, exercituque (quid quæris?) pullo, ipſum atque eius fratrem Marchionem Montacuti interficit. Dein conuerſo itinere ad Henrici 6. coniugem, quæ non longo ipſa quoque ſpatio cum copijs aberat, exercitum ducit, atque aduerſarijs iterum commiſſo prælio profligatis, mulierem cum filio Edoardo nuit. ſque nobilibus capit. Reginæ filius eo prælio, vti dixi, deprehenſus, cùm ad regem protraheretur, atque eius conuicio correptus exagitaretur, idq; nobilis adoleſcens non ferens liberiùs paullo magnoq; ſpiritu reſponderet, rex commotus manicam, quam indu-

indutus erat, in os impingit, & conspicati stupatores, qui circum regem erant, statim eum interficiunt. Quo tempore etiam eius patet Henricus 6. quem in vincla remissum demonstrauimus, necatur: eāque cædem opinio fuit à regio fratre Duce Gloceſtriæ (quam Claudiam olim dicebant) Ricardo factam. Nec verò Claudianum a morte sui maioris fratris Ducis Clarentiæ (qui in cado vini submersus erat) hominum suspitio liberauit. Edoardus cùm 22. annos, & vno plus mense regnasset, mortem obijt: duosq; filios paruulos Edoardum principem, & Ricardum Ducē Eboracensem in huius, de quo iamdudum loquor, tutela fratris reliquit.

Edoardvs V.

SEd errauit in hoc Edoardus, si huic, ob sanguinis & propinquitatis necessitudinem, rectè committi liberos existimauit. Nobilis enim ac vetus gladiator, qui iampridem sibi viam ad regnum sanguine munuisset, ne horum quidem sorbere sanguinem religioni habet. Immò vt id, quod animo turpissimè proposuerat, celerrimè consequatur, omnia diuina atque humana iura commiscet, tribus se vno tempore nefandis sceleribus polluit, matrem infamem, fratrem spurium, nepotes regni & vitæ exhæredes facit. Ad has res conficiendas hominem audacem atque improbum Shaum sacerdotem subijcit,

dat

dat huic negotium, vt in concione (cui ipſe, totaque nobilitas intereſſet) fratrem ſuum Edoardum 4. adulterio conceptum nec iuſtè natum fuiſſe, eaque cauſa imperium nec ipſum, nec eius iam liberos, quos in ſua tutela paruulos tenebat, iure obtinere: ſolum autem & verum eſſe regni hæredem Ducem Claudianum, palã pro ſuggeſtu ad Pauli pronunciaret. Qua turpiſs. habita concione, regnum ſine alio experẽdi iure inuadit, pueros nepotes in cuſtodiam dat, ac non ita multo pòſt ſe eorum fædiſs. cæde cruentat. His ita, vti meminimus, geſtis, non video quî maiori Edoardi 4. filio Edoardo, cui tam minimũ luce, diademate autem non omnino frui licitum eſt, titulum locumque regis tribuere ſcriptores noſtri poſsint.

RICARDVS III.

RIcardus ille tam ad omnem audatiam atque ſcelus proiectus, tamen ad colligendam ciuium gratiam verſutus ac diligens fuit. plures ciuitatibus ac ſocietatib. collegiiſque immunitates ac priuilegia, quàm omnes ferè maiores conceſſerat: magnam partem nobilitatis ampliſsimis honoribus & beneficijs ad ſuam beneuolentiam allexerat; complurimoſque omne genus hominum ſuo ſibi beneficio habere obſtrictos volebat. Quo in numero dux Buchingamienſis in primis fuit. Hic à principio ſuum in omnibus rebus Ricardo fi-

dem

dem præstiterat, sum nis rursus ab eo beneficijs honoribusque affectus: verùm nescio quo pacto alienatus se totum ab eius amicitia auerterat. Erat eo tempore inter Ricardum, & Henricum Richemondię Comitem quædam partium contentio. Hic illius crudelitatem horrens in Galliam à paucis nobilibus comitatus profugerat. Ad Henricum igitur Dux iratus transit, atque harum partium patrocinium suscipit. Verùm Ricardus re cognita præcurrit, Buchingumiæq; Dux dissipatis copijs oppressus, Londinumque perductus pœnas dedit, conatumque iracundiæ suæ morte sedauit. Hoc necato nobilitas tamen, quæ odio tyrannidis amdudum ardebat, nihilo secius coniurare, immò etiam eo magis defectionem admaturare, clam vltro citroque intermissis nuncijs accire comitem, regnum polliceri, rationem belli describere, itinera componere, atque omnia constituere. Henricus igitur ea parua manu, quam in Gallia coegerat (duûm enim omnino millium numerum transuexe ferunt) ac suorum pollicitationibus inductus transmittit, maioribusq; quotidie confluentibus copijs, cùm se satis instructum putaret, contra tyrannum Londinum versus proficisci, ac de imperio cũ eo contendere cæpit. At verò Ricardus præoccupat, atque ex itinere contrà maximis copijs consistit. Quid multis morar? signis collatis hic à suis proditur. pars enim militũ ad Comitem transfugit, pars

aut

aut à pugna vacat, aut languidè rem gerit, perexigua pars eius beneficiariorum fidem virtutemque præstiterat. Ipse tamen sic destitutus à suis non desent se, ac compluribus hostibus interfectis, fortissimè prælians occiditur: militesque, qui hucusque constanter ac non timidè pugnauerant, iam orbati duce terga vertunt. Postquam igitur tyrannus non longiùs biennio, ac duobus mensibus imperium vsurpasset, Henricus Richemondiæ Comes excepit, omniumque animos ad spem atque latitiam excitauit.

HENRICVS VII.

HIs rebus gestis, ecce tibi repente sacerdotulus quidam Simonius, nescio quo arrepto puero in Hiberniam transfertur, atque rebus tranquillissimis tumultum iniicit. Hic, inquam, male sanus latrunculus circulari, conuentus hominum conciare, Verum regni hæredem Ducis Clarentiæ filium penes se habere, Henricum verò nullo iure & lege, vi solum imperare dicere, puerum ostentare, denique prouinciæ fidem & misericordiam implorare. Hibernici, qui animo in Anglos inimico semper fuerant, nulla illata dubitatione aut mora (vt homines libenter id quod volunt credunt) suscepta causa ad arma confugere, copias cogere, auxilia etiam Germanorum asciscere parant: tum non

non defuerunt ex nobilitate noſtra qui adiuuarent rem proclinatam, plebemque ad furorem impellerent. Maximo igitur motu facto, atque omnibus rebus ad bellum paratis, coniuratores tranſeunt, regemque oppugnare inſtituunt. Quibus celeriter exercitu conſcripto occurrit Henricus, &, ne longior ſim, rem obtinuit. Quo prælio comes Lincolnienſis, multiſque externæ ac domeſticæ nobilitatis occiſi, ac ſacerdos cum ſuppoſititio rege deprehenſus eſt. Hoc extincto bello, rex decimas cuiuſq; facultatum & poſſeſſionum tributim pro portione cenſus exigebat. Id dum confertur, plebs tumultuatur, rem prohibet, Verniconum (quos Northumbros nunc dicimus) Comiti, qui negotio præpoſitus erat, mortem offert. In quos cùm merito eorum animaduerſum eſſet, atque aliquandiu pace vteremur, ſubitò planus alter Quarbeccus exoritur, qui perſonam Ricardi Eboracenſis Ducis (quem a patruo puerum necatum diximus) induens aliquos rurſus in Anglia fluctus commouebat. Hinc celeriter reiectus nebulo in Scotiam fugit, auxilium petit, apud homines mobiles atque infideles facilè valet. Hi enim occaſionem oblatam talem gauiſi copias cogunt, Angliſque bellum ſine mora denuntiant. In quos dùm profectionē rex apparat, ſubitò ad eum nuncij de Cornubienſi motu deferuntur. Hi enim homines feri ac bellicoſi, cùm ſe grauius, quàm ferre par eſſet

ſet ciues, oppreſſos dicerent, atque armis ſe D. Audlæo duce ſubleuare contenderent, plurium dierum iter progreſsi non longo ab Londino ſpatio conſiſtebant. Itaque pace Henricus cum Scotis facta, neceſſariò ad ſuos animum atque arma reuocatus refert. Ne multis, acerrimo prælio commiſſo victoria potitus rex eſt, ac dux Audlæus, multiſque coniurationis principes capti ſunt. Quo fere tempore Ouarbeccus, quem in Scotiam effugiſſe demonſtrauimus, deprehenſus ac morte mulctatus eſt: nec non alius etiam, qui ſe alterum Ducis Clarentiæ filium ſimulabat, eandem quoque pœnam perferebat. Henricus tertium & viceſimum annum, & octauum iam menſem regnans è vita cedit, imperiumque hæreditate Henrico filio obuenit.

Henricvs VIII.

Hic non maioris 24. annorum, adiuncto Imp. Maximiliano (qui in eius exercitu tunc miles merebat) bellum cum Gallis geſsit, eorum ſummas copias vno prælio fudit, fugauitque, Turruinum expugnauit, oppidū nobile & egregiè munitum Baganum (quod tot habere turres quot ſunt in anno dies dicitur) vi & virtute cepit, magnifique præſidijs & munitionibus firmauit. Hoc interim ſpatio Scoti, cum nudatum præſidio Angliam putarēt, atque

atque regias copias ab auxiliando intercluſas mare ac negotia diſtinerent, rupto fœdere (vt fœdifraga ſemper hæc gens fuit) ſubitò coniurant, in imperij fines omnibus copijs irrumpunt, nationemq; hanc (quacum illis inexpiabile ſemper bellum interceſſerat) opprimere, ac penitus conficere in animo habent. Quibus difficultatibus obiectis, Angli auxilium ſibi ab animi virtute petendum exiſtimarunt. Celeriter collecto, quem temporis exiguitas ac neceſsitas ferebat, exercitu, obuia procedunt, ſumma vi patriam defendere, atq; hoſtium impetus ſuſtinere contendunt. Huius belli ſumma Comiti Suſſæo, tradita eſt. Quid opus eſt plura? commiſſo prælio, ſingulari ducis conſilio, militumque egregia virtute Angli potiũtur: Scoti proſtrati, fuſi, occiſi refugere, ac rege eorum Comitibuſque vndenis amiſſis, domum diem & noctem continenter recurrere coguntur. Ferè per id tempus ſeruilis Lõdini contra peregrinos tumultus factus eſt. Serui enim multitudinem aduenarum, qui tum in vrbe conſtiterant, moleſte ferentes, omnes eos vna nocte ſimul adoriri, atque interficere conſpirabant, magnamque iam cædem efficiebant. In quos rex eo grauius vindicandum ſtatuit, quo omnibus in poſterum eſſet documento. Peregrinos atque hoſpites (quod nomen apud omnes nationes ſanctum inuiolatumque eſſe debet) non eſſe violandos, neq; illos inhumaniter & crudeliter eſſe tractandos.

Com-

Complùribus his in crucem actis, reliquos, quos nanciſci poterat, graui ignominia notandos exiſtimauit. Ignominiæ ratio hæc fuit. Latrones omnes qui comprehenſi erant, numero ad quingenti, à Turri (quò conijciebantur) verſum ad Roſtra, (vbi rex ipſe iudex conſederat) laqueo à cuiuſque collo ſuſpenſo, in ordinem tota vrbe conſtricti ducebantur. Ibi apud regem ex vinculis cauſam dicebant, ac perduellionis conuicti extremũ omnes ſupplicium expectabant. Tandem (cùm ſatis & ad terrorem, & ad exemplum profectum putaretur) male tantùm verbis accepti, pœna liberati dimittuntur. Henricus ſacerdotium impulſu in Lutherum, qui tum primùm a Papali religione defecerat, libellum conſcripſit, atque ob eam rem Fidei defenſoris a Pontifice max. titulum ac nomen accepit. At non multo pòſt alterum in ipſum Pontificem max. libri, ſacerdotium contumelijs prouocatus, ſua ſponte compoſuit: ac paulatim omnem eius in Anglos poteſtatem, quam perlongo vſurpaſſet interuallo, reiecit ac repudiauit. Imprimis, cùm ab Arthuri fratris vxore (quam Papali permiſſu in matrimonio habuerat) deuortium fieri vellet, reſque a Cardinali Ouolſæo, & Papæ legato (quorũ arbitrio permiſſa fuit) diem ex die duci, ac lentiùs agi cœpta eſſet, Rex ſe ludibrio habitum ratus Cardinali, qui antea totius Angliæ plurimùm poterat, inimicitias denunciat, eumque amplissimo illo honore (quem

re (quem Cancellariatum barbara voce nominant) eodem momento priuat. Et quidem ex eo tempore quotidie in sacerdotes anquirere, eorumque fortunas, machinatoribus hominibus quibusdam callidis, occultè eumculis oppugnare: nec verò noua quædam struere & moliri antè destitit, quàm eorum reipublicæ statu funditùs euerso, (de monachis loquor) omnes profanas sacrarum ædium possessiones, & fortunas (quibus antè nobiles imminebant) conuertisset, atque penes se in perpetuum redegisset. Harum rerum auctor in primis fuit Cromuellus, homo obscuro loco natus, at summo ingenio præditus, qui consiliorum fructum est in vtranq; partem amplissimum consecutus. Hæc enim eum ex infima plebe ad summum dignitatis gradum extulit: ita vt Essexiensis Comes, & summus Angliæ Cubicularius fieret: hæc eum inde, euersa penitus ac deleta familia, ad acerbissimam mortem detrusit: sic vt eadem lege, cuius ipse auctor ferebatur, hæreseos & perduellionis indicta causa damnatus, pœnas sacerdotibus solertiæ ac sagacitatis luerit. Dum hoc modo insidiatur sacerdotibus, ratio reperta est, qua ratione illius muneris & ordinis omnes, Quòd Papæ in Anglia potestatem habuissent regia maiestate potiorem, omnibus fortunis mulctarentur. Horum princeps Cardinalis, bonis omnibus euersis, cum ad Turrim etiam deprehenderetur,

eo do-

eo dolore consumptus de via mortem s
est: neque aberat suspitio, quin ipse sib i
mortem conciuerit. Quo exemplo
reliqui perterriti sacerdotes in regiam mi-
sericordiam supplices confugiunt, ijsque
irrogata mulcta IↃↃↃ librarum ig-
notum est. Ab hoc initio profecti lon-
giùs procedunt, atque indicto totius An-
gliæ concilio, primos regi sacerdotum
fructus, omniumque annorum decimas
(quæ ad Papam antè peruenerant) cum
toto sacrarum rerum iure & potestate de-
cernunt. Ob quas res summi illi viri
Morus Angliæ Cancellarius, Fisheruſque
Roffensis antistes, in immani omnium
ordinum multitudine, quòd in has iu-
rare leges nolebant, cernices securi sub-
iecerunt. Dehinc, exemplum ab Wolf-
æo sumentes (hic enim vt binas in A-
cademia scholas, quæ nunc collegia vo-
cant, instituerat, ædiculas quasdam sacras
deleuerat) omnia monasteria, quæ non
amplius 200. minis annuæ mercedis ha-
berent, addictas fisco demoliebant: ac si-
mili ratione paullo post reliqua eodem
labefactata motu conciderunt. Dum
hæc negotia expediuntur, sic inflam-
mati & perturbati sunt omnium animi,
vt pluribus in regni locis, ac temporibus
ciues coniurarint, armisque contra re-
gem sumptis religionem defendere, ac
ruinam ab sacris ædibus prohibere con-
tenderint. Quibus ab Henrico flammu-
lis, quòd hæc sic vsu ventura opinione

præceperat, facilè oppressis, alius Eboracensium multo grauissimus ac periculosissimus motus extitit, cuique nisi magno fato ac fortuna resistu non potuisse videbatur. Hic enim, cùm persuasum esset multitudini se arma pro Deo ac religione contra scelus atque impietatem laturos, summo studio & conatu res agitur, maximus exercitus fortissimorum hominum cogitur (40. enim millium numerum complesse constabat) atque infestissimis animis significque contra regem itur: profectioque hæc, militibus Christi nominis ac vulnerum insigne ferentibus, sancta peregrinatio appellatur. Aduersus eos Dux Norfolchiensis regijs præpositus copijs mittitur. Hic, quòd magna erant virtute cogniti Eboracenses, quodque eorum quotidie copias augeri audiebat, maturandum sibi, & tamen præcauendum putabat. Accelerat igitur Dux, militū celeritatem incitat, atque ad fluminis ripam, vbi hostes è regione consederant, maturè peruenit, castrisque positis, ibi & ex labore reficere milites, & de die prælij statuere, atque de omni ratione belli decernere cogitat. Paucis diebus hoc modo intermissis, cū omnium vtrinq; animi studio pugnandi arderent, neq; alio quisquā cogitatione traheretur, quàm quis quemque euentus exciperet, omnis de improuiso præliandi & congrediendi facultas adempta est. Id enim flumen, quod inter duos exercitus intercedebat, nec difficili

cili trãsitu,& multis locis vadosum fuit,ita vna nocte, quæ diem prælij committendi antecesserat,subitò creuit,vt acies concurrere nullo modo possent: eoque factum esset,vt omnis administratio belli consisteret, atque animorum studia remitterentur. Quam mirabilem diuinitus oblatam occasionem neutiquam omittendam statuit dux, tantumque diligentia sua ac pollicitationibus effecit, vt omni vtrinque studio iraque depositâ,res sine cæde & occidione ciuium componeretur,atque omnes tandem ab armis discederent. Motu sedato, atque exercitu coniuratorum dimisso,eorum principes retinuit, atque ad regem interposita fide deduxit. à quo liberaliter accepti amplissimè donis remunerantur, summaque fide dimittuntur. Domesticis rebus confirmatis, iam Scoti vrgere,rapinas atque incursiones in finibus identidem facere, omnibusque temporibus celeritate, qua eorum equites valent, periculum effugere: eaque impunitate elati, tandem maiores copias cogere,& 15. millium manu in fines ingressi populari agros, ac nescio quid sperare cœperunt. Eo repentino periculo Ouurtonus Musgraiusque Equites, qui in illis partibus habebant, permoti regium expectandum imperium nequaquam censent, sed sibi consilio capto quantas max.per se possiunt copias colligunt, manuque circiter duûm millium celeriter in confinio confecta,se hostibus offerre, eosque prohibere instituunt.

tuunt. Ne multa, Scoti tanto numero superiores se virtute nostris non adæquabãt, ac multis occisis, & vulneribus confectis, ducibus autem captis, ad extremum terga vertere, atque fuga sibi salutem petere coacti sunt. Hoc secundo prælio facto, rex tamen paulo pòst Semerum Hertfordiæ Comitẽ, qui grauiores ab ijs perfidiæ pœnas repeteret, cum amplioribus copijs in Scotiam misit. Is, cùm hostes illa parua manu victi nam sui copiam facere, ac se prælio committere non audierent, ne nihil egisse, atque infecta reuertisse re diceretur, eorum oppida, in quibus abditi latebant, oppugnauit, duobusque Scotiæ munitissimis oppidis Letha Edinburgoque captis, ac deletis, exercitum deduxit, ac domum redijt. His rebus cum Scotis gestis, rex Gallis bellum infert, &, ne longum sit, in continentem ipse traijciens Boleinum obsidebat, oppidumque intra vnum mensem in deditionem accepit. Capto Boleino, præsidioque occupato, ad id recipiendum intermisso spatio reuertuntur Galli, atque immani numero circumfusi castra è regione oppidi trans flumen ponunt, castellumque ibi excitare, & reliqua, quæ ad oppugnationem vsui sunt, administrare instituunt. Cùm aliquod spatium munitio eleuata, militesque quodam die in opere occupati dissectique essent, subitò se ex oppido eijciunt Angli, atque acriter in eos impetu facto, neque cognoscendi quid fieret, neque sui colligendi spatium

tium relinquunt, magnoque numero interfecto, reliqui castris atque impedimentis amissis aufugere, atque oppugnationem dimittere compulsi sunt. Ad hæc Gallorum incommoda accessit trecentarum onerariarum iactura nauium. Hæ à nobis id temporis captæ, ac Londinum perductæ, non minimùm nostras auxerunt opes, Gallorumque fortunas deminuerunt. Henricus comam in hac insula princeps barbamque totondit: eiusque exemplo ducti Angli (qui ab summa memoria capillo promisso fuerant) omnes confestim tondebantur. Hic rex vxores complures habuit: principio Catharinam Douageram, fratris, vt dictum est, vxorem: cui remisso nuntio, Annam Boleineam in matrimonium duxit, quæ perduellionis soluebat pœnas: pòst ei Iana, quæ Edoardi sexti partu peribat, nupserat: tùm Annam Cleuam duxit, cui paucis pòst mensibus fecit diuortium: dein Catharinam Houardiam, quam pro adultera morte mulctauit; denique Catharinam Parram ad supremum vsque diem in matrimonio tenuit. Regnauit septem & triginta annos, & menses nouem. Eius filius Edoardus incredibili puer indole successit.

EDOARDVS VI.

HVius per ætatem auunculus Comes Hertfordiæ (qui pòst Summerſetenſis Dux factus eſt) in regni procuratione fuit. Quo adminiſtrante, primò è fanis omnibus ſigna ac ſimulachra ſanctorum publico edicto perempta atque ſublata ſunt: ac paulo pòſt Concilio habito cęteræ contaminatæ Papales ceremonię de medio remouebantur. Deinde religione conſtituta, bellum ab eo cum Scotis feliciſsimè geſtum eſt. prælio enim, vt breuè faciam, in Scotia commiſſo, centum omnino deſideratis Anglis, 13. M. capitum Scotorum occidêre, & 15. C. nobiles & honeſti homines excepti in victoris manus deuenêre. Huius belli cauſa fuit, quòd Scoti ſanctiſs. facto fœdere regi noſtro Edoardo paruulam ſuam deſpondiſſent reginam, neque poſtea in fide atque promiſſo manere voluiſſent. Huius belli negotijs explicitis, Procurator, cùm paci conſulere, atque animi æquitate plebem continere vellet, cùm, inquam, publicis omnium pene ætatum atque ordinum de agrorum præſeptione querelis ſatisfacere cuperet (edictum enim propoſuit, vt quicquid vbique agri publici ſeperatum priuatumque factum eſſet, id in certum diem publicaretur, eodemque, quo antiquitus fuit, faſtigio iaceret) imprudens omnia commiſcuit, capitiqué ſuo exitium attulit.

Ea

Ea enim re diuulgata, præceps amentia plebs ruere, neque magistratus administrationem expectare, sed cæco impetu (cùm primum sibi quisque itineris locum peteret) in potentium leporaria ēlata, munimenta ac sepes deijcere, fossas complere, solum inæquare, quæ inter clausa animi causa in præsepibus seruabantur, emittere, ac multa multis grauiss. detrimenta importare. Quid quæris? non quisquam ferè omnium tam infirmus viribus, aut tam fugiēs laboris plebeius fuit, qui non in hoc opere faciundo naturam & consuetudinem studio & cupiditate vinceret. Eodem etiam vestigio plebs Cornubiensis concitata veteres Papæ cęremonias & religiones referri, restituique volebat. Qui motus cùm non sine magno labore, multoque sanguine restincti fuerint, tam incommodè omnia ceciderunt, vt eodem puncto temporis quo hæc domi miscentur, foris etiam à Gallis, (qui occasione rei excitati Boleinum tum obsidebant) angustijs premeremur, magnumque incomodum caperemus. His igitur rebus adducta nobilitas, maximè vero agrorum publicatione permota, manus Procuratori actutum injcit, malè gestæ reipublicæ vna voce insimulat atque eum non ita multo pòst morte mulctat. Edoardi tempore, quod perexiguum fuit (sex enim paullo plus regnauit annos) nihil mihi illo Londinensium instituto, quo egentibus est consultum, quod litteris ac memorię mandetur, magis dig-

num visũ est. Trib. enim publicis ædificijs magno sumptu constructis, trib. tenuiorũ est consultum genenb. Primo homines miseri, qui per causam ætatis aut morbi sibi auxilium ferre nequeunt, publicè aluntur, neque quicquam ibi, quod ad hæc duo subleuanda pertinet, requirunt: Altero genere pueri orbi, à parentibus, amicis, ac fortuna deserti in arte aliqua, qua posteà viuere possint, instituuntur. Tertium pro carcere est inficientibus: quò concluſi non solùm sibi victum magno labore quærirant, sed ex eo etiam quod superest domus sumptus sustentant. Cùm ageret rex vitæ supremum tempus, Ianam patris sui sororis neptem, quæ Vernisconum Ducis (qui plurimùm tùm in republica pollebat) filio nupserat, hæredem regni testamento reliquit, idque senatus ac multorum optimatium sententia, chirographoque ratum est factum. Quamobrem hæc, Edoardo mortuo, Angliæ regina edicitur. Sed eodem etiam tempore Maria regis soror, quæ in eo plus iuris habebat, atque obtentura videbatur, se circumm̃isis præconibus renunciandum curauit. Vt igitur hi consilij publici auctores ad motum fortunæ se posteà mouerint, operæpretium erat videre. Cùm enim de regno, vt dictum est, Maria contenderet, ac res fore in motu videretur, senatus Ducem illum, cuius plurimùm auctoritatem valere demonstrauimus, ad mulierem supri-

primendam emittit, eamque ad Turrim adduci iubet. Hic igitur vrbe fic extrusus, cùm aliquantulum viæ processisset, reuocatur, atque vt eo negotio desisteret, & Mariam reginam pronunciaret, senatus item auctoritas intercedit. Quo dolo circumscriptus Verniconum Dux, ad Turrim ipse apprehenditur, ac maiestatis non multo pòst damnatus, cum filio, huiusque vxore, quam dixi, Iana pœnas dat.

MARIA.

MAria reginæ iam honore, & nomine affecta rursus omnia vertit, non inquinatas solùm Pontificias cæremonias, superstitionemque restituit, sed transmarinas etiam nuptias (Philippi enim Hispaniæ regis matrimonium tenebat) contra voluntatem & testamentum patris introduxit. Quod testamentum cùm multorum hominum nobilium atque honestorum iureiurando constrictum esset, in omnibus tamen Ouiatus quidam Eques id solus seruare, atque armis fidem in iureiurando datam præstare contendit. Hic inquam, manu militum, quam ex suis coegerat, munitus, Londinensium etiam pollicitationibus excitatus ad vrbem profectus citur, vt de nuptijs agere, remque distinere parat. Contra hunc Dux Norfolciensis copias

à regina ducit. Is, cùm aduersariorũ castris appropinquasset, à militib. qui ad Ouiatũ omnes perfugerant, malè mulctatus relinquitur. Qua re Lõdini cognita, pons reseinditur, noui delectus habentur, custodię præsidiaq; collocãtur, tantusque omnium incedit timor, cùm à suis proditi quibus fidem haberent non intelligerent, vt vrbs eodem vestigio capta videretur. Hoc intermisso spatio Ouiatus ad vrbem peruenit, atque interrupto ponte se ingressũ prohibitur videt. Qui spe lapsus, conatu non desistit tamen, & perfugarum confirmationibus adductus, (qui se altera porta, quæ ad occidentem vergit, receptum in dicebant) omnia tentare instituit. Itaque flumen transit, exercitumq; ad alteram partem oppidi magno circuitu circumducit. Verùm ibi etiam eum spes, & fortuna fallit. Nam cùm in suburbia (vbi omnibus vijs obsessis hostium latebant insidiæ) longè introrsus intrauisset, ac portam sibi contra fidem præclusam sensisset, vndique circumuentus, omni spe fugę deposita, milites sibi quenque consulere iubet, ipse in deditionem venit, atq; in Turrim coniectus, non ita multo pòst cum magna parte perfugarum pœnas persoluit. Ferè per id temporis adolescẽs è plebe quidam, qui se Edoardum 6. (de quo multæ tunc inanes fabulæ ferebantur) prædicabat, virgis cædebatur: &, cùm id iterum faceret, animorumque animos perturbaret, (ne plebs propter imprudentiam laberetur) se-

miſuſpenſus moribus carnifici deditus eſt. Philippo adminiſtrante, Angli in Gallia rem gerebant, atq; Auguſtam Veromanduorum expugnabant. Quod incommodum Galli citò ſanarunt, oppidumque Iecium (quod 11. menſium obſidione ab Edeardo tertio captum, in Anglorum poteſtatem 216. annis fuiſſet) fœnoris à nobis loco abſtulerunt. Hoc illi cùm non ita bene munitum, paullo etiam indiligentiùs aſſeruatum animaduerterent, neglecta Auguſta, huc cum omnibus copijs aduolarunt, oppidumque obſidione oppugnare cœperunt: ijſque, cùm omnis ſpes in celeritate conſiſteret, ſumma vi & contentione res agitur, atque omnia tentantur. Erat per dies grauior atque aſperior oppugnatio, ac res iam ad paucitatem defenſorum peruenerat: præterea naues noſtræ, quæ laborantibus venire ſubſidio paratæ erant, tempeſtate detentæ diſtinebantur. His igitur difficultatibus afflicti Angli, oppidum poſt quartum diem dediderunt. Maria, poſtquàm quinque annos, & pluſculum quatuor menſes imperaſſet, è vita deceſsit.

ELIZABETHA.

HAnc soror Elizabetha subsecuta est. A qua primùm reiecta superstitione vera Dei religio reposita est: tùm (vtpote cui fictæ fucatæque res omnes odio fuissent) adumbratum omnem ex impurioribus metallis numum, cuius plena erant omnia, sustulit, atque irritum fecit, magno auri, argentique pondere signato. Per id tempus circumforaneus quidam nebulo Morus, qui se Christum dictitabat, paullulùm virgis castigatus, retractauit, miserumque se homunculum fassus est. Quo tempore Angli qui Nouumportum in Gallia tenebant, à Gallis obsessi, ac graui ex diutina conclusione atque inopia rerum necessariarum pestilentia conflictati necessariam deditionem subierunt, non tantum nostris incommodi ex oppidi & militum damno, quàm ex morbi fœdissimi contagione contractum est. Milites enim dedititij domum reuersi, atque in plures regni partes dispersi morbum simùl dissipauerunt, omniaque ferè contagione contaminauerunt: vsque eò, vt Londini, 8. minus mensium spatio, 23660. homines consumpti perierint. Postremum & reliquum est, vt Northumbriæ, Ouestumbriæq; Comitum (qui olim Vernicones, Damnijque sunt dicti) in Septentrionalibus regni partib, motum attingam. Hi religionis

ligionis simulatione & nomine multa reipublicę mala moliebantur, ac iam sumptis armis, manuq; conflata, paruulas quasdam rapinas & populationes faciebant. Sed eorum conatibus & consilijs, priusquàm res longiùs serperet, senatus eximia diligentia occursum est, ac paucorum supplicio (in queis Veniconum Comes fuit, alter enim effugerat) pax atque otium repertum.

HAbes tandem, Ornatissime Broncar, vsque ad memoriam nostram, de rebus gestis Britanniæ commentariolos meos: quos his paucis proximis diebus non vt perficerem, aut illustrarem ipse, sed vt aliorum excitarem studia, qui id optimè facere possunt, informaui. Dolendum enim est historiam hanc, quæ tot, tantas, & tàm præclaras res contineat, ita iacere. Nam cùm non ferenda Anglicanorum tuba scriptorum videatur, tùm nescio quid in Polidoro desidero. Non quo tamen huiç nihil deesse libello putem, eò dico: cui nihil adesse præter orationis, si fortè, quod secutus sum, lumen præ me fero: cætera enim, vti dixi, consultò prætermisi, atque ad eos, qui historiam harum rerum, aut paullo plenius, si placet, commentarium aggressuri sunt, relegaui.

Hæc interim alicui, dum illa venient, vsui esse possunt, & tùm fortasse poterunt.

ERRATA.

Fol. 23, b lin. 3. lege, emicuisse.
Fol. 27, b lin. 6. lege, in continentem.
Fol. 42. b lin. 33. lege, præterito.
Fol. 45. b lin. 1. lege, beneficijs.